Princeton University Library
101 066877190

Digitized by Google

2949
.064

EX LIBRIS
A. TRENDELENBURG.

ELIZABETH FOUNDATION.

2949
.064

LIBRARY
OF THE
College of New Jersey.

XVIII 1051 8

Digitized by Google

Digitized by Google

Am

Digitized by Google

ECLOGAE
RECENTIORVM
CARMINVM LATINORVM

EDIDIT

CHR. GVIL. MITSCHERLICH
PROF. GOTTING.



HANNOVERAE

APVD CHRIST. RITSCHER

1793.

Digitized by Google

(RCPPG)
(Annex A)
2949
.064

Digitized by Google

AD

VIRVM ERVDITISSIMVM

LAVRENTIVM VAN SANTEN

POETARVM LATINORVM

NOSTRI AEVI PRINCIPEM.

20536

Digitized by Google

Digitized by Google

Quoi tu, Melpomene, volens fragrantes
Nouis carminibus paras corollas,
Laetas omnigenis odoris auris,
Quas fundunt thyma, centicepsque florum
Narciſſi coma, ramulique myrti,
Nymphis ludicra, cum croco rubenti:
Quas halat Paphiae Deae ſodalis,
Roſae flos, et amaracus, querelis
Cum tuis, Hyacinthe, luctuoſis?

Digitized by Google

Santeni, Tibi: nam Tuis in oris
Cultas deliciis benignioris
Caeli nectareis Venus recentes
Permulſit manibus, ſuique odoris
Adflauit roſeis labris honores.
Quo tellus, liquidaeque tractus orae
Laetis exſiluit tremens cachinnis.

Quos flores prope forte ſi videbis
Languenti capite hos, odoris illos
Ignaros, alios mala tumentes
Herbae luxurie; hos iniquioris,
Quod nec Iupiter explicat benigno
Riſu, nec Zephyri fouent ſalubres,
Natos ingenii ſolo memento,
Altos exigua leuique cura.
Quippe vbi neque honos ſuus, decusue

Cultorem manet, atque araneorum
Tela inſtat meritis, placensque Virtus
Pannum frigore concutit rigentem.

Quare aequi, precor, hos meae bonique,
SANTENI bone, conſulas corollae.

Digitized by Google

Ad Ecll. Editorem.

Dum lucem ingeniis ſeruas reddiſque ſepultis,
Nec, quae laeta vigent, ſpreta iacere ſinis:
Ingenii ipſe Tui commendas munera; neue
Sit comes Aſtraeae Muſa Latina, vetas.
Quod ſi parua manet Te indocti gratia vulgi:
At Tibi docta cohors praemia digna feret.
Dumque ipſe Auſoniae Muſae penetralia ſeruas
Antiſtes, nomen ſeruat et illa Tuum.

CHR. GOTTL. HEYNE.

Digitized by Google

SALVS. BORVSSA. REDVX.

R E G N A N T E.

FRIDERICO. WILHELMO.

Videtis? atros vt pepulit nouus
Euri tumultus Phoebus, et horridas,
Caliginoſa quae Boruſſum
Nube polum induerant, tenebras

Diſcuſſit auro? Iam roſeis comam
Rubens corollis inuehitur redux
Dies per aethram, conſciumque
Laetitiae iubare euoluto

Perluſtrat orbem, quum Tva tempora
Honos ſacraret regius, et piae
Gentes ſalutarent benignum
Te Patriae, Friderice, Patrem;

 Quem

Digitized by Google

Quem fouit vlnis ambroſiis recens
Dias in auras luminis editum
Heroa Virtus, entheoque
Rore nouos animauit artus.

Io triumphe! o qua regit, igneas
Eniſus arces, purpureas nouus
Titan habenas, quaque pronos
Vrget equos, Tenebris reuectis,

Dicêre Magnus, ſeu niueis polum
Inuecta bigis Pax ſocia liget
Gentes catena, defluoque
Candida deproperare ſaecla

Auro laboret, ſeu grauis ingruat
Nubes Gradiui deſuper, atque agris
Aerata Tempeſtas, per orbem
Diluuiem meditata, et atro

Armata leto fluctuet, et Furor
Bacchatus vno turbine miſceat
Caelumque, terrasque, et cruentus
Exagitet truculenta motas

In

Digitized by Google

In bella gentes. Stat, licet vndique
Formidoloſo turgidus impete
Adſultet Auſter, ſtat ſuperba
Fronte minax nemoroſus Atlas,

Columna caeli. O! quantus adoreis
Laudum pateſcit campus! vt arduae
In ſerta commiſſae ſupinis
Collibus attremuere laurus!

O fauſta longum ſaecla! datum o! tibi
Gratare, felix Patria, Principem,
Qui ſolus impleret tiaram
Regis ad aethereas leuati

Plagas Olympi. Plaude tibi prece
Multa vocatum, plaude datum tibi
Genus Deorum, Teutonumque
Praeſidium, columenque terrae.

MDCCLXXXVI.

Digitized by Google

ELEGIA AD MVSAM.

Cur me, Muſa, fugis? Cur me, tua ſacra colentem
A teneris, arces limine, Muſa, tuo?
Mente dabam caſtâ ingenii munuſcula parui,
Nec tu ſpernebas, qualiacumque dabam:
Quin vltro interdum praeſens impellere noſtras
Dignabare tuo pectine, Diua, fides.
Non ego bellantum celebrabam crimina regum,
Serta meo capiti ſanguine foeda parans;
Sed vriſque Deos et ruris grata canebam
Otia, ab innocuae laudis amore calens.
Nec ſaeui ceciniſſe ſubinde Cupidinis arcum
Diffiteor, nondum ſaucius ipſe tamen:
Quin, pueri (qualis furor!) imperioſa laceſſens
Arbitria, irriſi non mihi nota mala.
Tune illos jam, Muſa, meos vlciceris auſus?
Et duplici pectus frigore, dura, gelas?
An, lentâ quia non flammâ carpebar amoris,
Ignibus indignus ſum quoque Pieriis?
Horrida rura colens et nudas gramine arenas,
Ver cecini, arenti et ceſpite ſtratus agros.

Inter

Digitized by Google

Inter proceras, illaeta cacumina, pinus,
Et pro fronde gerens ſpicula denſa nemus,
Errabam, et, raro vix vſquam flore reperto,
Cantabam triſtis munera pauca ſoli.
Intera variantem cuncta et cuncta nouantem
Viſere Naturam contigit vlterius;
Et mage dilectas matri percurrere terras
Audax noſcendi me quoque juſſit amor.
Helueta te tellus, coelo ditata benigno,
His mihi te licuit cernere luminibus.
Irriguas pandens Nicri curvamine valles
Praeludit tantis Sueuia deliciis,
Aëriis valles incinctas montibus, vnde
In mage laeta patens exitus arua vocat.
Namque ſacrum libertatis penetrale viator
Aduehitur, tacito, corda pauore tremens:
Mox tua rura videt, mox te, Shafhuſa, ſalutat,
De celſo Tempe tramite deſpiciens.
Illa ego deſpexi, domibus circumdata laetis,
Pacatis Rheni ſectaque fluminibus.
Nec Natura mihi durato e robore pectus,
Plumbeaque in rigido pectore corda dedit:
Aſt tu, quae, ſenſi, ceciniſſe, Camoena, vetabas,
In media deeras tu mihi laetitia,
Immitis! non quod rabidarum clamor aquarum,
Saxorumqne fragor puluereaeque niues,

 Et

Digitized by Google

Et ſpumis repetens ſtridentibus aethera nimbus,
    Et fluctus fluctum deſuper uſque premens,
Atque, elementorum diſrupto foedere, lymphis
    Aurae permixtae, brumaque vere redux,
Attonitae tacitum menti incuſſere ſtuporem:
    Illa, equidem fateor, non fuit ira tua.
Ipſa ſiles etenim, Naturae fida ſacerdos,
    Praeſenti incedit numine quando Dea.
Spes erat ad grauidis praetextos vitibus amnes,
    Ad molles cliuos, ad lacuumue ſinus,
Spes erat apricis te cernere, Muſa, ſub antris,
    Afflatuque iterum percaluiſſe tuo.
Seu Tigurina meos retinens induſtria greſſus
    Antiqui cultûs mî ſimulacra dabat,
Seu, qua ridentes ambagibus Arola campos
    Mille ſecat, tepido vere vagabar ovans.
Sed fruſtra ſpecubus, fruſtra, per prata, niuoſis
    Quaeſivi fruſtra te, Dea, verticibus.
Ah! quoties ego te ſupplex in vota vocaui,
    Qua Genevae, referens aequora vaſta, lacus
Cornibus extenſis felicia rura coërcet,
    Thyrſiferis prohibens horrida ſaxa jugis!
Illis tu campis, ſi quid mea munera curae
    Sunt tibi, ſi placuit ſedula relligio,
Obuia mî fieri debebas, gaudiaque illic
    Debebas numeros noſtra docere nouos.

Quis

Quis fortunata nunc me ſemel exulem ab ora
Reſtituet ripis, alme Lemane, tuis?
Quis tibi reſtituet, qui, rupibus undique clauſus,
Anguſta dulcis valle, Vibiſce, lates?
Quis dabit e ſpecula ſinuati littoris alta
Cingenteſque lacum, tecta beata, domus,
Et montes ſuperimpendentes montibus, atque
Vallenſis furcas cernere poſſe jugi?
Haec loca poſtgenitis inſignia, qualis Abydum
Olim vel Seſtum, laus ſuper aſtra feret.
Hîc etenim, a reliquo praeruptis cautibus orbe
Secretus, poſuit templa tremendus Amor:
Hic ſibi ſelegit puriſſima pectora, flammis
Exercenda ſuis atque furore ſuo,
Sancta teris veſtigia; ſancta, viator, amoris
Circumquaque ad aquas hîc monumenta vides.
En ſterili ſcopulos in coelum fronte minantes!
(Interfuſi illos diſtinet unda lacus).
Exilio juuenis ſejunctus, Julia, ſumum
Spectauiſſe domus geſtiit inde tuae!
Praecipites illum calles, acceſſaque ſoli
Culmina moerori, ſcandere juuit ibi!
Frigus ibi, glaciesque feras, et turbida montis
Nubila marmoreis aedibus antetulit.
Omnipotens ibi Amor docuit ſua fata querentem
Illum, inter gelidas, ignea verba, niues:

 Incen-

Digitized by Google

Incenſura, eheu! miſerandam verba puellam,
Extingui teneris neſcia pectoribus.
Aſt infra mediis caſtellum apparet in vndis,
Albeſcens, ripa conſpicuumque procul.
Tu, quicumque per haec lentos fers littora greſſus,
Sacratum noli praeteriiſſe locum;
Quin lacrymis venerare piis veſtigia matris,
Pro cara mortem prole petentis ibi.
Aeſtatis ſic poſt incendia ſaeua, benigni
Solibus autumni mitia poma cadunt:
Sic poſt veſanos iuuenili in corde tumultus
Ardores pietas expulit illicitos.
Molliter his compoſta cubent nunc ruribus oſſa,
Et littus feriant lenius iſtud aquae.
Hic aliquis tenero, monſtrans loca ſancta, nepoti
Enarret niueus triſtia fata ſenex;
Diſcat et in flammas non ferreus eſſe ſuorum,
Et genus et miſeras ſpernere diuitias.
Hic ſocii per frondea rura vagentur amantes,
Fallentes gratis tempora colloquiis;
Dumque ſibi notos iterum teſtantur amores,
Oſcula fragranti dum legere ore iuuat,
Stent ſubito, trepidam et premat ad ſua corda puellam,
Et toto iuuenis palpitet ipſe ſinu.

Tum

Tum ſibi diſſimilem, poſt longa ſilentia, ſortem
A Venere, exultans, praedicet eſſe datam.
Et virgo, madidis haerens in littore ocellis,
Vt facilis venias vsque, precetur, Amor.
Aſt pia, tu, perfuncta malis, anima, eque ſurenti
Rerum humanarum gurgite ſoſpes, haue!

G. L. Spalding.

AD SPALDINGIVM
SVVM IN HELVETIAM ITER
ELEGIACO CARMINE CELEBRANTEM.

Salve, victuris chartae commiſſa tabellis,
Non merita o domini jurgia, Muſa, tui!
A te culta ſatis, proprio et laudanda decore;
Didoti praelis cultior ipſa tamen.
Auſoniae vt ſpirat priſca in te gratia linguae!
Quam facili curris, tota venuſta, pede!
Quam juuat et varias, duce te, percurrere terras!
Quam te per valles, per juga celſa, ſequi!
Jam mihi de ſcopulo videor pendere minanti:
Jam medias inter membra rigere niues:
Jam male ſub firmis audire tonitrua plantis:
Aeterna in glacie jam titubare gradum.

Grandior aſt ſurgit tibi tum, Spaldinge, Camoena!
Adflatuque mouet pectora noſtra nouo,
Juliolae memoras vbi ſaeuos entheus ignes,
Nec tali dignam ſorte perire facem!
Plaudit ab Elyſia jam, trans Styga, ſede beatus,
Laetatur numeris Rufus et ipſe tuis.
Audiit et pia te (non fallimur) umbra puellae,
Et tibi ſata vouet diſpare ducta colo:
Ingemat in proprio ſic nunquam Muſa dolore!
Sic faveat flammis vſque Cupido tuis!

P. H. Marron.
Legationi Batauae ad Aulam Gallicam a Sacris.

VIRO
PLVRIMVM VENERANDO
P. H. MARRON,
PARISIOS COGITANTI PROPEMPTICON.

Ergo iter ad magnam, quam Sequana perluit, vrbem,
Borbonioqur paras ſubdita regna Duci.
I pede inoffenſo, non te mala ſtella moretur,
Non auium turbent omina ſcaeua viam.

Splen-

Digitized by Google

Splendida quot procerum Regumque palatia cernes
Templaque marmoreis conſpicienda tholis.
Heſperidumque hortos, Peneisque aemula Tempe
Praedia, Hamadryadum Naïadumque domos.
Quot gelidos ſaltus, gelidoſque inter ſita ſaltus
Paſcua, ab innumero paſcua tonſa grege.
Frugiferaeque deae, patrique habitata Lyaeo
Culmina, naturae luxuriantis opus.
Quot fontes, quot ſigna deum, miracula dextrae
Et quae praeterea Verſalis aula tenet.
Non tamen haec, vulgi ritu, ſpectare cupido
Impulit Hollandos linquere ſola focos.
Sed varios hominum variorum noſcere mores,
Moribus ex patriae compoſuiſſe tuae.
Voluere et intento pretioſas lumine gazas,
Plurima quas pandet Bibliotheca tibi.
Viſere et Aonidum ſedes, foecunda virorum
Vnde ſeges, Famae vecta ſub aſtra tuba.
Quos Sophie, quos Muſa tibi coniunget amicos,
Quosque tibi eloquii conciliabit honor.
Scilicet humanae tibi clauſtra latentia mentis
Et Natura ſuas tota recluſit opes.
Scilicet a teneris Suada formata magiſtra
Fortius Arpina vox tua voce tonat.
Et Batauae Auſoniam felix ſociare poëſin
Carmina Pelignis fontibus hauſta canis.

Nauſra-

Naufragii has tabulas, ſaecli monumenta vetuſti
    Diſcat ab exemplo Gallia amare tuo.
Gallia, Romuleae cui ſórdet adorea Pithus
    Sordet ab Argiuis fluctibus orta Venus.
Non ita, laus ſcenae, Corneli, prima, nec vrbem
    Tu ſale, Boilaui, defricuiſſe potens,
Non ita cenſebas, Graiorum imitate cothurnos
    Racini, Graiis non minor ipſe tuis.
Quam cuperem, Marrone, tibi comes ire per oras,
    Pectine tantorum quae ſonuere virum.
Sed retinent vinctum dilectae coniugis ora,
    Membraque adhuc morbi fracta furore grauis.
Ite leues pro me, mihi non licet, ite Camoenae;
    Fallor an heu! domini vos quoque languor habet.

I. H. Hoèvfft.

IVPITER

IVPITER ET VIATOR.

INTER GELLERTIANAS LIB. I. FAB. XXXIII.

Hiemis viator deprehenſus impetu,
Vt impotentes ſiſteret Boreae minas,
Et ſole rurſus et frui ſudo daret,
Rogat Tonantem; at irritae preces cadunt,
Nihilque caelo parcius ruunt aquae.
Tandem, ſua vt erat per nemus via, conſlitit.
Ab ingruente tectus vt nimbo foret,
Patula ſub vlmo, et mille, vix compos ſui,
Voces proteruas in bonum fundit Iouem,
Hominumque lacrimas eſſe ait, queis gaudeat.
Ecce, in propinquo, qui necem tento ſibi
Molitur arcu, ſtare latronem videt;
Sed, vt immaduerat neruus, ante pedes cadit
Inane iaculum. Tumque, perculſus metu,
Haec ille fantem ſentit iratum Iouem:
Aliquando parce queſtibus vanis, homo,
Curamque ſuperis eſſe ne dubita tui!
Te, qui perieras, miſſa ſeruauit te hiems.

AVENARIVS.

AD

Digitized by Google

AD CVPIDINEM.

Tela, Cupido, tuae qui felle rigata ſagittae
Eſt ſemel expertus, te, Male, iure fugit.
Dulcia tranquillae tu tollis gaudia vitae,
Ictaque peſtifero corda dolore quatis.
Te volitat circum comitum monſtroſa caterua,
Ira, Furor, Gemitus, Fraus mala; Pernicies.
Ipſos Muſarum crudeliter vris alumnos,
Conſiliumque tua ſurripis omne face.
Parce, Cupido, mihi, ſi forte proteruia noſtra
Te, Bone, deliro laeſerit opprobrio.
Dulcia tranquillae tu portas gaudia vitae,
Tactaque molliculo corda calore moues.
Te volitat circum comitum formoſa caterua,
Pax, Iocus, et Riſus, Mens pia, firma Salus.
Muſarum tetricis magnum es ſolamen alumnis,
Manſuetoſque facis ſaepius ante feros.
Tela, Cupido, tuae qui melle rigata ſagittae
Eſt ſemel expertus, te, Bone, iure colit.

DOERING.

GAL-

Digitized by Google

GALLINA ET ANATICVLA.

INTER GELLERTIANAS LIB. I. FAB. L.

Gallina pullos duxit olim paruulos,
Quos inter erat et anaticula, quam cum ſuis
Simul illa natis incubando excluſerat.
Iter eſt in hortum. Quo jubet, ſequitur ducem
Tenella vocis gnara maternae cohors,
Exercituſque pipientis pars anas
Laborioſo inambulat iuxta gradu.
Haec quum videret ante non viſum lacum,
Mora nulla, praeceps deſilit et vltro innatat.

At quis natandi fecit vt prudens fores?
Quis te, puſilla, juſſit, in ſtagnum dare?
Impune credes hac te aquis aetatula?

Gallina paſſis huc et illuc litore
Diſcurrit alis horrida, ac fruſtra vocans
Singultiendo tranſfugam, ter et quater
Et ſeſe in vndas ferre conatur; vetat
Natura potior et ingenitus aquae metus.
Sed anas paterna gratulans laeto ſibi
Clamore regna, tentat audacter lacum,
Et, mater, inquit, nam quid eſt, quod eiulas?

Quod

Digitized by Google

Quod horret alter, alterum haud raro iuuat.
Hic caſtra gaudet ac tubae cantum ſequi,
Et ille ſolum Martis ad nomen tremit.
Hic lintre fluuii radere metuit latus,
Et ille vaſtum tranat intrepidus mare.
Ne molienti facinus arduum time!
Periculoſa ſi cui vita obtigit,
Pectus dedere par periculis dei.

AVENARIVS.

VETERES
IN OPERIBVS INGENII
INSVPERABILES

Sunt, quos tantopere elatae temeraria mentis
Ambitio turpis, vel rerum inſcitia vexant,
Vt, quae cunctorum ſaeclorum puncta tulerunt
Omnia, doctorum veterum immortalia ſcripta,
Diuini ingenii queis hi monumenta dedere,
Aetati normam noſtrae, pariterque futuris
Eſſe negent, ſi qui pariter clareſcere forſan
Ingenio calamoque velint. Ne credite, quaeſo,
His, o, quos ſacri deſerta per ardua Pindi
Ingens ducit amor, queis ſunt pia carmina curae

Eia,

Digitized by Google

Eia, agite, illorum queis ſtet ſententia cauſſis
Si vacat et volupe eſt, breuibus perpendite mecum!

„Nonne ipſi veterum, (buccis ita grandibus inſit
Turba nouaturiens) quos ſummos quiſque fatetur,
Praeceptis, quum ſcribebant, caruere ſequendis,
Nec minus exemplis? Quemnam diuinus Homerus,
Quaeſo, ſequebatur? Cuius pulcherrima vatis
Carmina contemplans, certa et veſtigia luſtrans,
Magnanimum Aeaciden, vafrumque canebat Vlyſſen?
Nonne ſibi exemplum fuit ipſe et norma loquendi?
Aut quis erat porro, quem ſummi grande Periclis
Ingenium, quem rara ſequi facundia poſſet,
Cuius et exemplo rapidiſſima fulmina linguae
Mitteret, horrendo ac tonitru terreret Athenas?
Nondum etenim ſollers oratori atque poetae
Sancta Stagiritae ingenium dictata magiſtri
Scripſerat, atque artis, quas non tranſiſſe liceret,
Legum, vim ingenii concluſerat vndique vinclo.
Si veteres igitur potuere inſignia ſummi
(Legibus haud moniti, non exemplaribus vllis)
Ingenii nobis monumenta relinquere vates:
Quid nos impediet, moroſa lege ſolutos,
Neglectis rigidae praeceptis omnibus artis,
Naturae caecos ſectari in carmine motus,

 Quid-

Digitized by Google

Quidquid et ardentis vehemens iubet impetus vnquam
Ingenii, plenis confeſtim effundere buccis?" —
Audio. Sed quis vos docuit, (mihi dicite, quaeſo)
Praecipuos veterum praecepta haud eſſe ſecutos
Artis, et exempli formam, in qua lumina figens
Par indefeſſi tentaret cura poetae?
Nulline ante boni florebant tempora Homeri
Aonii vates? facundine ante Periclem?
„Sed periere omnes (aitis) longaque ſepulti
Heu! nocte vrgentur. — Quid tum? Felicior ergo
Illis Maeonius vates Periclesque fuere,
Non, quod non premerent veſtigia certa priorum,
Sed, quod naturae mage conuenientia vterque
Maiori ingenio, rebuſque attentior ipſis
Scriberet: haec cauſſa eſt, qnod adhuc miremur vtrumque.
Nam, dum curate obſeruant, quid quaeque requirat
Res, quid conueniat recte ſibi, quid ve repugnet,
Quid feciſſe homines conſuerint tempore quouis,
Atque loco quouis, et qnauis conditione,
Carminibusque ſuis inferre haec omnia, multo
Cum ſale, prudenter, meliuſque prioribus, audent,
Contigit, aetatem vt, nullo aduerſante perito,
Diuina ipſorum ferrent monumenta, viaque
Occurrere ſibi Natura et Homerus eadem. —

Sed

Sed tamen opprobrium eſt noſtro intolerabile ſaeclo,
(Sic pergit male docta cohors) feroque nepoti,
Legum ferre iugum, queis artis noſtra magiſtri
Ingenia adſtringunt, atque, imperioſa loquentes,
Heu! nimis angnſto decurrere limite cogunt" —
Hinc illae lacrymae! Sic proditur ille ſuomet
Indicio ſorex! En, quorſum haec omnia ſpectent!
„Cedat Ariſtoteles, annoſus cedat Homerus,
„Pindarus, Heſiodus, cedat cum Quintiliano
„Tota cohors veterum, noſtrorum idolon auorum!
„Nos, nos nimirum ſoli ſumus, omnia nos, nos
„Poſſumus; at fungi Veteres, verique puelli:
„Nos ſoli, qnid ſit pulchrum, rectumque, videmus;
„Nos ſoli ingenio, nos ſoli diuite ſummae
„Doctrinae vbertate penuque valemus abunde!
„Cui, niſi tironi, lex artis ſcribitur vnquam,
„Quae regat errantis greſſum, a vitioque repellat?
„Nos ſumus ecce! ſua iam quilibet arte magiſtri,
„Queis non ſane opus eſt cohibentis compede fraeni,
„Et grauibus vinclis; ſed liberiore vagamur

Digitized by Google

„Campo, quo noſtrae diuinum mentis acumen
„Fert, aut ingenii praeceps nos impetus vrget.“ —

Hic, hic eſt faſtus, qui tot jam triſtia nobis
Detrimenta dedit, qui tanta incommoda rebus
Intulit humanis, qui prodigioſa nouorum
Errorum haud raro portenta inuexit in orbem,
Qui rem ciuilem, priuatam, publicam, et artes
Turbauit varie, ſacros qui denique coetus
Nunc etiam infeſtat; cui ſancta oracula ſummi
Numinis heu! ſordent, qui mallet turpiter ipſum
Correxiſſe Deum, quodque hic dicitue facitue,
Cenſura dignum audacter reputare ſeuera.
Scilicet ex aliis quidquam, quique ante fuerunt,
Profeciſſe pudet; contra, quae ſcire fatemur,
Hauſiſſe e nobis ipſis placet, atque videri
Noſtra ſponte vias veri vidiſſe bonique.
Ac velut, excelſi quum lumina forte gigantis
Ingentem ac celebrem conſpexere eminus vrbem,
Magnifico exſtructam cultu, templiſque ſuperbam,
Paruulus, inſcenſis humeris mox illius altis,
Pumilio exiguae latitantem protinus aedis
Turriculam adſpiciens, faſtu hinc effertur inani,
Maioremque ratus ſeſe factum eſſe repente:
Plus te, plus video! ſtulto clamore profatur,
Non ſine prudentum riſu, qui talia cernant;

Sic

Digitized by Google

Sic pariter, poſtquam veterum ſapientibus illi
Praeceptis atque exemplis didicere decori
Et pulchri normam, quanam ratione modoque
Scribere conueniat cuiuis placitura legenti,
Ecce! ſtatim inſurgunt in eos, magnoque boatu
Tanquam nil veteres vllá laudabile in arte
Praeſtiterint vnquam, ſeſe ſuaque omnia iactant,
Quin vltro hos carpunt, arrodunt dente maligno,
Ac, veluti craſſis ſcateant erroribus, audent
Corrigere, ac totos incudi reddere libros.

Inde fit, vt, qui vix tolerandus, tempore noſtro,
Inferiora ſcholae ſubſellia tiro reliquit,
Orator ſibi iam videatur, et eſſe poëta,
Non modo par priſcis, (fortaſſe hoc ferre licebat)
Sed longe maior, ſed Homeris altior ipſis.
Quique habet ingenii pauxillum, comica vis quem
Non agitat, tragici nec ſpiritus ille cothurni,
Vt primum legem, quam ſcripſit Horatius, audit:
Neue minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quae poſci vult et ſpectata reponi;
Saepius hanc autem doctos migraſſe Britannos;
Recte, ait, o nugae veterum! Cur quinque tenendi
Sunt omnino actus? Quin ſex, aut quatuor? Illud
Sanxerunt veteres; ego contra audentior ibo.“

Digitized by Google

Haud mora longa: ſedet: conſcribit: fabula prodit,
Corpus iners, longos tentum per quatuor actus,
In qua mixtim alios alii, nullo ordine, caedunt.
Primus habet cunas Ducis; at iuuenem videt *alter*,
Tertius ecce! ſenem ſiſtit, *quartus*que trucidat.
Et tamen ipſe ſibi tali, veriſſimus, auctor,
Neglectu veterum, *Schakſpaerius* eſſe videtur.
Scilicet hi fructus iſta ex ratione redundant,
Quae leges ſpernit veterum atque exempla, nec vllos,
Si ſemel inducta eſt, habet iſta licentia fines.

Vos, qui indefeſſa ſummam ſpirantibus artem
Inuigilaſtis adhuc cum ſedulitate libellis,
O noſtri, quibus hinc hodierna luce Camoenae
Promerita cingunt iuuenilia pectora lauro,
Pergite, qua coepiſtis iter: nec vocibus iſtis,
Quas inflata recens temere ſapientia fundit,
Vos abſterreri ſinite a conamine pulchro,
Quo veteres legitis. *Vos exemplaria porro*
(Quod Flaccus veſter, ſane non ſordidus auctor
Naturae verique, docet) *Graeca atque Latina*
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At nec ab exemplis, quae dant, diſcedite, quaeſo,
Sed premite ipſorum recto veſtigia greſſu,
Si quando ingenii Vos iuſſerit impetus acer
Edere victuras per plurima ſaecula chartas,
Dramata, cumque hymnis heroica carmina, libros.

Sic,

Digitized by Google

Sic, poſtquam dudum, noſtri monumenta poëtae
Quae ſcripſiſſe ſolent, ſine lege, ſine ordine ſparſa
Per vicos fuerint, vendentes thura et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis,
Quae Vos ſcribetis contra, nulla ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas;
Semper honos, Veſtrum et nomen laudeſque ma-
nebunt.

REICHARD.

AD
HEYNIVM
V. CEL.

Da veniam, Pater alme, precor, ſubnectere ſerta
Crinibus, Angliaco vult peregrinus Agro.
Iſis enim veſtros, vitrei per fluminis vndas,
Plauſus iam repetit, quos tua Leyna ciet.
Auſpice Te priſcis rediit ſua forma poëtis,
Nec macula in vultu turpior vlla manet.
Cernit Pindaricum manifeſto in lumine Cycnum.
Europa aetheriam nunc iterare viam.
Rurſus Olympiaco Theron certamine victor
Palmatus rapidos limite ſoluit equos.
Iam redit et queruli dulciſſima Muſa Tibulli,
Et priſca inſtructus moeret Amor pharetra.

Digitized by Google

Quasque dies vmbras offudit longa Maroni
    Diffugiunt rutilas te quatiente faces.
Admirande Senex! merito plaudente corona
    Te iuuenes ſtipant, regificumque genus.
Magnus Ariſtarchus ſtimulet felicibus auſis,
    Par fuit ingenium, par ſit vtrique labor.
Incipe Maeonidis viuas expromere voces,
    Haud ſtudio Muſa eſt dignior vlla Tuo.
Dumque cohors vatum eſt veſtris decorata tropaeis,
    Participem Famae Te fore laeta videt.

HENRICVS KETT,
OXONIENSIS,
E COLLEGIO SACROSANCTAE TRINITATIS.

A D
FRIDERICVM FRANCISCVM,
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
INSTAVRATOREM.

Quem matris almae deciduum ſinu
Fouere Muſae, cui Charites ſuos
    Riſere honores agienti
        Molliter, ambroſioque labra

Tinxere

Tinxere ſucco, mox vbi lacteo
Acceſſit aetas fortior, optimis
Cui pectus informare firmum
Artibus inſtituere pacis;

Huic ſi ſacratas ſors dedit imperi
Tractare claues, ſi populis pia
Aequique diſpenſare iura
Annuerint bona fata vultu:

Non dirus illos exagitat furor
Martis, ſed alto pacis in otio
Gentes ſalutari ſuperbae
Praeſidio recolunt auita

Duris volentes arua ligonibus,
Quae diues Hermus, quae Tagus aureis
Humectat vndis, et Saturni
Priſca ſtupent rediiſſe ſaecla.

O ter beatos, quos populos Tuae,
Francisce, curae prouida numinis
Mens credidit, Tuique laetos
Imperii placidi eſſe iuſſit.

Digitized by Google

Tu, quos amice lumine priſtina
Mirata quondam ſaecula, candidos
Soles reducis, ſubditosque
Alloquio recreas paterno.

Tu dulce Muſis iam fugientibus
Phoeboque praebes hoſpitium bonus,
Exaeſtuanti Tu iuuentae
Palladis inuigilare curis

Viam repandis. Nominis hinc Tui
Late per orbem didita adorea,
Qua tollit altos, quaque feſſos
Mergit equos rota Solis, ibit.

AD

Digitized by Google

A D
VALGIVM BERLINATEM
VATEM VNICVM,

V T

I V L I V M G V E L F V M,
PRO CIVIBVS FORTITER OCCVMBENTEM

CARMINE EXTOLLAT.

FLETVM Naïadum choris,
Quem fruſtra ſociis tollere Iulium
Certarunt manibus piae
Crudelique animam exſoluere candidam,
Quae fatis placuit, nece,
Ignauosque ſuo maſcula nuncio
Percuſſit bene principes
Obduxitque rubore ora pauentibus;
Quem reddant melius dei,
Carum difficili munere regibus,
Carum pauperibus virum,
Complexumque animo commoda ciuica;
Qui dum munificus foret;
Curtae deeſſe rei intelligeret nihil;
Magnum qui tamen et ducis
Vectigal loculis parcere duceret;

Magnum

Digitized by Google

Recte facta potentius
Quam vanae cuperet laudis adoream;
Mallet dum inferior deis
Cenſeri patriis, dignior imperat;
Longaeuus patriae pater
Seris quem imperii opponeret hoſtibus,
Tum quum tela tyrannicis
Turgeſcens laqueis enſe retexitur;
Cui vitam iuueni abſtulit
Ingens, quis praeerat, cura Quiritium, et
Brennorum choreis ducum,
Conlectus decorat quos cruor, addidit;
Quemque et gentis honos frequens,
Et virtus, potior ſtemmate regio
Et communis amor rei,
Et flos ingenii, et Muſa vetat mori:
Hunc Valgi, egregios lyra
Qua reges ſuperis conſociare amas
Et eompeſcere bellicos
Motus non humili carmine niteris.
Candentem ex humeris, precor,
Diuorum numeris ocius inſeras,
Quam vilis popularium
Vmbram commaculet naenia lucidam.

Io. Aloys. Martyni - Lagvna.

IVVEN-

Digitized by Google

IVVENTVS ROSA.

En vt rubentem pandat orienti ſinum
Regina florum Cynthio! Vt Zephyris ſuos
Det ferre odores roſcidis gemmis grauis!
Vix at feroci murmure inſonuit Notus,
Strepuitque grando, languidum ponit caput,
Cumque occidente Cynthio pariter cadit.
Tuam, Iuuentus, te docet ſortem Roſa.

DENIS.

CVIVS GENERIS SIT PAPA?

Maſculus haud, Papa, es, num femina? nam Tibi menſes *)
More; at ſex tantum: ſic neque femina eris.
Quum vir non poſſis, plene, non femina dici,
Salue ſic multis, Hermaphrodite, modis.

y Z.

*) Collationis nempe in Capitulo Canonicorum.

MONGOL-

Digitized by Google

MONGOLFERII MACHINA VOLANS.

ELEGIA

AD

BENED. STAYVM.

Quam cernis facili vectam ſublime volatu
Vſque ſui molem ponderis immemorem,
Nimborumque vias, et inanes findere tractus,
Et ſecum impavidos tollere terrigenas:
Hanc neque Titanum ſoboles, nec daedala Circe,
Pervigil at docta ſuſtinet arte manus.
Et modo, qua valido crebreſcunt impete venti,
Cymba nouum ſupero radit iter pelago:
Radit iter longum, vireſque acquirit eundo,
Et rapidi curſum fluminis antevolat.
Interdum et, fixo velut alliget anchora morſu,
Cæruleis haeret pendula verticibus.
Tum magnos emenſam orbes, magnoſque meatus,
Ipſaque terrifici flammea regna Iouis,
Aſpicies placido tutam deſcendere lapſu,
Et noſtris iterum ſiſtere littoribus.
Vnde ingens animo, atque oculis mirabile monſtrum
Ignea vis tanti protulit ingenii?

Nam

Digitized by Google

Nam neque ſedulitas atauum, nec ſerior aetas,
Inuentis licet audentior omnigenis,
Praecipiti viſa eſt vnquam ſe credere caelo;
Vixque adeo nugis aurea ſuaviloquis
Neſcio quas olim memorabat Graecia pennas,
Ictaque cerato nubila remigio.
Tu mihi tu rerum ſollers euoluere cauſas,
Magnaque diuinis pandere carminibus;
Romula quo veteres auget ſapientia faſtos,
Vnica Muſarum gloria, Staiade:
Rem pulchram numeris conor dum pandere paruis,
Tu mihi Palladio numine dexter ades.
Principio quidquid terrarum, quidquid aquai
Purpureo Phoebi ſidere perfruitur,
Vndique circumfuſus obit liquidiſſimus aër,
Vndique ſe miris flexibus inſinuat;
Perpetuoque hauſtu recreat genus omne animantum
Laetificam vitae lampada ſuppeditans.
Scilicet hunc, oculos vt multum fallat inertes,
Et ſeſe humanis ſenſibus eripiat,
Acrius, et ſtudio coepit ſcrutarier omni
Antiquis Ratio libera compedibus.
Illa videns volucres caeli ardua peruolitantes,
Librantesque alis corpora mobilibus,
Surgenteſque ima paſſim tellure vapores,
Qui ſudum imbriferis nubibus inficiunt!

Aëra

Aëra nativo pollentem pondere ſenſit,
Exegit certam pondus et ad trutinam.
Praeterea totum hoc, magnum quod Inane vocamus,
Hoc totum partes diffluere in varias,
Complura hic illic verti in miracula rerum
Denſari, expandi, obſiſtere perdidicit,
Praecipue vero admota rareſcere flamma,
Et levius ſenſim reddier, ac leuius;
Aduerſoque auras grauiores trudere niſu,
Vrgerique auris mutua finitimis:
Aëris hinc aequa fluxum grauitate carentem,
Dum migrare plagas cogitur in ſuperas,
Et vim poſſe parem ſuſtollere materiai,
Et raptis alas addere corporibus.
Singula quae tacita dum ſecum mente volutat,
Naturaeqne aditus diſcutit ancipites,
Gallus homo intactum victor patefecit Olympum,
Et liquidas drinceps ire vias docuit,
Ire, redire vias mortalibus ante negatas,
Et tuto aërium nare per oceanum.
Quandoquidem tenui conſutam ſtamine molem,
Glutine ſed lento unde undique praeualidam,
Iugentem, vacuam longe lateque patentem
Mirifico fultam texuit ingenio:
Ponderibus cymbam cui deinde aptare ferendis,
Et propius prunas ſubdere cura fuit.

Quas

Digitized by Google

Quas vbi ſollertem congeſtas rite per artem
Velleribus, ſtipulis, et pice fumiferas
Sedulus e puppi exciuit pendente magiſter,
Cui ſocii, audacis participeſque viae:
Tum vero ingruere, ac nebula aſcendente meare
Plurimus in molem, qua data porta, vapor;
Igniferoque aër intus rareſcere fumo:
Inflatur totis machina parietibus;
Iamque globo ſimilis clauſa caligine turgens,
Vndique diſiectis, qui ſuberant, laqueis;
Tellurem indignata leues euadit ad auras,
Et ſibi commiſſum tollere geſtit onus.
Apparet vacuo ſublimis in aëre pinus:
Qualis, quae iuuenes tranſtulit Argolicos,
Auſa prior tumidos Nerei proſcindere fluctus,
Vt Colchis pellem auerteret auricomam,
Nunc quoque flammigero gaudens incedit Olympo,
Nauigat et pulchris addita ſideribus.
Prodigium mirata nouum ſtupet inſcia turba,
Inſcia, vixque ipſis credula luminibus
Muſſitat, et duplices dum tendit ad aethera palmas
Humano haec fieri robore poſſe negat.
Fit clamor caelo: perterrita pennipotentum
Diffugiunt regnis garrula ſaecla ſuis.
Detrectare nouas fruſtra conatur habenas
Aura ſub impoſito pondere preſſa gemens.

Aërius

Digitized by Google

Aërius ſiquidem poſtquam ſaluere viator
    Vndique reptantem poſſit humi populum,
Altius aſſurgens caput inter nubila condit,
    Protinus et cunctis euolat ex oculis.
Vſque nouum gliſcit moles indepta vigorem,
    Vſque nouo exſultans fomite ſe reficit:
Lucida tranſcurrens meat aetheris interualla
    Aurea caelicolum fulgere templa videt;
Captaque amore loci longum tolerare laborem
    Pergit et inſuetum fert animoſa gelu:
Praedurae ſatis eſſe ratus dum nauita pugnae
    Aggreditur litus quaerere ſepoſitum.
Ille reluctantes paullatim temperat ignes,
    Decreſcit ſenſim, qui fluit inde, vapor.
Denſior interea paullatim admittitur aër,
    Nec minus et ſenſim detumet interior:
Librantur momenta; aequam ſpirabilis aurae
    Machina vim juncto pondere vix ſuperat.
Tum ſeſe aërio prudens demittere gyro
    Incipit er magnum lenta gradum reuocans
Non cladem pauitat turpem, non ponderis ictum;
    Telluris varias ſed ſpeculata plagas
Incolumis tandem ſecurae allabitur orae.
    Sic olim excelſo functa miniſterio
Ipſa per obſcuram conſueuit Cynthia noctem
    Sideribus Latmon viſere poſthabtis:

Eximium

Digitized by Google

Eximium noſtro ſalue decus addite ſaeclo
Magna virum mater Gallia quem genuit;
Macte noua virtute, acri certamine victor,
Aetherea ſalue ſoſpes ab arce redux,
Mongolferiade, mirae pater aedepol artis,
Qua peream ſi quid pulchrius eſſe poteſt
Quis tibi promeritam ſumma pro laude coronam,
Debita quis palmae munera praeripiat?
Depromeent alii leviores vndique fumos,
Exquiſita igni pabula ſufficient;
Arte laboratas includent follibus auras,
Credo equidem, et melius ſurgere polliciti
Pauca tuis addent, multum ſibi ſumere diſcent;
Tota ſed inuenti gloria parta tibi eſt.
Te canit; et dulci modulatur carmina plauſu,
Te miris celebrat laudibus Heſperia:
Itala te ſequitur per caeli compita virtus,
Vna tibi e reliquis gentibus aduolitat,
Hactenus vna tuis poſuit veſtigia ſignis,
Tuta, nec ignauo abſterrita conſilio.
Scilicet et tempus veniet, quum nauita curſum,
Auſpice te, flectat, quo velit, vnde velit.
Quaeque aciem finit terrai ſemita noſtram,
Aëris hanc liceat lata per arua ſequi.
Nempe et inacceſſos montes, valleſque profundas,
Et maria in tractus didita Hyperboreos

 Aeter-

Digitized by Google

Aeterno concreta gelu, geminoſque triones,
Quin ipſum dabitur tranſſiluiſſe polum.
Quaeque diu ſpatiis tellus diſcluſit iniquis,
Per caelum arrepta vincere poſſe via.
Huc accedet, vti ſuperorum arcana queamus
Cominus admoto lumine diſpicere:
Omniuagi ortum ignis, totasque expendere vires,
Naturaeque altum noſſe magiſterium:
Et quascunque acer Franklinius extudit artes
Certius in noſtrum vertere praeſidium.
Porriget imperii latos ſapientia fines,
Ominor, et ſertis conſpicienda nouis
Afflabit ſeros facundo numine vates;
Pierium ſcandent dia Reperta iugum.
Illa ſed Auſonii qui concinat ore Lucretì
Aureus eloquio, maximus arte lyrae,
Qui cunctos valeat naturae accedere partes,
Vix vlla inuenient ſaecula Staiaden.

Ios. Tarvffivs.

CAESAR

Digitized by Google

CAESAR ET PONTIFEX.

Flecte genu, ſupplexque pedi fige oſcula ſancto;
De Capitolino vertice Praeſul ait.
Contra, ne quis me duplicato poplite adoret,
Imperii e ſummo culmine Caeſar ait.

Polydorvs Nemaevs.

AD POSSIVM

QVVM I. V. D. RENVNTIARETVR.

NVNC APVD ROSTOCH. PROF. CEL.

Quis iſte caeli defluus aequore
Exſultat aſtris fulgor, Apollinis
Propago, victricique flamma
Aethera peruolitat, diemque

Accendit auro? en Diua redux ſolo
Aſtraea caelo labitur, aureo
Amicta nimbo, quam verendo
Cana Fides, Pietaſque vultu

Digitized by Google

Lactae ſequuntur. Diffugiunt nigrae
Damnata nocti monſtra, Calumniae,
Fraudumque peſtes, et malignae
Inſidiae, ſoboles Alectus.

Quum Tu reuinctus tempora floridis
Lauri corollis ad Themidis ſacra
Stares ſacerdos, atque auarae
Perfidiae legerere vindex.

I, tende fortis, qua Tibi gloriae
Virtute partae ſemita ſternitur,
Tuumque nomen per remotos
Fama vigil celebret nepotes.

FRAGMENTVM
CARMINIS IN OBITVM
MAXIMILIANI IVLII LEOPOLDI
DVC. BRVNSV.

Stabat conſtructis eductus in aethera ſaxis
Pons circumfuſo complexus litus vtrumque
Nexu, ſubtus aquas placido rumore Viadrus
Seruitii patiens voluebat debilis alueo.

At

Digitized by Google

At nunc heu! domino grauis auxiliaribus inſtat
Auctus aquis, longi furit indignatus habenas
Imperii, crebrisque trabes impulſibus atrox
Subruit, infeſta donec vi victa fatiſcunt
Vincula, et in medio tranſmittunt libera frenis
Flumina, diſciſſo late exultantia ponte.
Tum vero viſu exanimes, quos altera ripae
Tecta tenent, ceu nulla prior terroris imago,
Planctibus et maeſtis vlulatibus aëra complent,
Vrbis vbi adſpiciunt commercia rapta, ſalutis
Spemque ſimul. Matres preſſant ad pectora natos
Arctius, ignaros fati, caelumque, timentes
Caro oneri, votisque piis et queſtibus implent:
Auxiliique inopes puerorum flebile murmur
Poſcit opem, fruſtraque vocat crudelia patrum
Pectora, ſub tanto miſereſcere neſcia caſu.
Maturi trepidare ſenes, arentia fletu
Lumina tollentes, et in hoc traxiſſe queruntur
Temporis inuiſam, fatorum crimine, lucem.

At non haec nullis Guelforum auguſta Propago
Colluſtrans oculis, indignatusque, procellas
Immane hoc potuiſſe nefas, ſimul, ibimus, Heros,
Ibimus, o ſocii, exclamat, ſociosque periclis
Eripiamus, ait, ceſſet mora ſegnis, in arcto eſt

Digitized by Google

Tempus, io! ciues, properate, impellite remos.
An; donec miſeros tandem vada dira ſepultos
Aduoluant manibus noſtris, ſedeamus inertes?
Imo, agite, et viuos amplexui reddite noſtro.
Ite, deus vocat, ecce deus. nec longa moratus
Primus adit fluctus, ſcrutatoresque profundi
Voce ciet, caſus comites qui tendere in omnes,
Spumoſosque velint fragili trabe findere fluctus.
Iamque aequor tentet dubium Dux certus eundi,
Exploretque vias liquidas, ni miles anhelo
Obuius ire gradu properet: reuerenda tremebat
Canities capiti, vultum variauerat hoſtis:
Hic genua amplexus lacrimis ita farier ortis:
O lux, o quem te memorem! Deus o mihi certe!
Tune caput carum in manifeſta pericula mortis
Proiicies, bone Dux, mediisque in fluctibus errans
Diſperges inſontem animam, trucibusque procellis
Pallida membra feres praedam, et ludibria ſaeua?
Infelix! tua te virtus pietasque fatigat
Non pia, cede malis, cedendo fortior heros,
Quae non humanis opibus, non viribus vllis
Exſuperare datur. Dudum haec, ni dura negarent
Fata viam, remis manus altas verreret vndas.
Non adeo timidos genuit natura pericli,
Non adeo lucis cupidos: et pectora nobis
Quae, patriae deuota, notas traxere decoras,

Agmina

Agmina cum late ferret bellator, et alte
Victrices aquilas referens Fridericus ouaret.
Quod ſi nulla meis precibus via, conſpice luctu
Merſam vrbem, hanc viduam deſolatamque relinques?
Anxia nec Procerum reuocant te lumina, Princeps?
Te trepidique ſenes, te infantum murmur, et ipſi
Ipſi orant, rapidi miſeros quos rauca Viadri
Intercluſit hiems, incepto abſiſte. parantem
Plura vetant gemitus, lacrimaeque ante ora volutae.
Mollia iamque Ducis Leopoldi corda lababant,
Mota ſenis precibus, paullumque relanguit ardor.

Iamque fere cunctis iactantior aedibus ibat
Vnda ferox, ſuper vna fuit, quae plurima caelo
Emicuit proiecta, domus, mora fluctibus atris.
Illa diu caſtae ſtudiis operata Mineruae
Serica fila cata varians tractauerat arte.
Huc iuuenumque ſenumque manus conceſſerat omnis,
Exſpectans rabidos labem fatumque ferentes
Fluctus, heu! miſera extremae ſolamina ſortis.

Stabat tergemina natorum cincta corona
Maeſta parens, auidos vt fixo lumine vidit
Adlabi fluctus, propius propiusque periclum,
Bacchatur triſti turbatos pectore queſtus
Erumpens, vocem dolor intendebat, et vndas

 Adſpi-

Adſpiciens, natosque ſimul, materne procellis
Ah! fecunda fui, et, patriae qui debitus olim,
Natorum ſanguis lacerato corpore fluctus
Tinget? ait, talis debetur gratia partus?
Spargite me in fluctus, egone his disiecta meorum
Corpora ſpectem oculis, et verſis ordine fati
Legibus ereptos gremio ſequar vltima mater?
At vos, o ſi qua eſt pietas, ſi dulce parentum
Nomen, opem miſeris aduertite: ſiccine lenti,
Dum tectis inſultat hiems, conſiditis agris?
Heu! vbi tot miſeris toties adcommoda virtus?
Dux vbi? — non vltra clamantem Guelficus heros
Suſtinuit, rapit ille gradum citus, arctaque vitat
Litora, qua denſa feruebant plurima turba,
Sola petens, raptiſque ferox in tranſtra carinae
Remigibus dubia fugit irreuocabilis alno.
Accipit unda ratem, domini ceu conſcia, vtrique
Adludens blande lateri, auguſtoque ſuperba
Pondere inoffenſam ducit per caerula campi.
Iamque ad praerapidum ſpumoſi fluminis alueum
Ventum erat, indomiti ſubito cum turbinis horror
Ingruit, aduerrens decumanos gurgite fluctus,
Illiditque ratem trunco; ſimul illa ruinam
Prona dedit, ſimul icta Ducem detruſit in imos
Fluctus et tenues animam diſperſit in auras.
Horruit vnda nefas, tremuitque exterrita viſu,

Libra-

Digitized by Google

Libratumque diu madidis amplexa lacertis
Corpus inoffenſum bibula deponit arena.

Illum ſiderea complectens nube reuexit
In caelum Pietas, placidaque in ſede locauit.

NOX SERENA.

Vt cuncta late praeter amabileis
Fontis querelas altus habet Sopor!
Vt Luna diues Fratris igne
Sidereas celebrat choreas!

O Suda caeli! o Regia Numinis!
Quam me cupido blanda tenet tui!
O quando mortaleis volatu
Deſpiciam tuus hoſpes oras!

D E N I S.

NEAERAE

Digitized by Google

NEAERAE CARCERE DETENTAE

AD

MATREM EPISTOLA.

Ecquid, vbi audieras turpi me carcere claudi,
Terrore attonitae diriguere ſinus?
In natam pietas, alieno et ſueta moueri
Corda dolore, jubent diriguiſſe putem.
Deſine ſed fletu corrumpere lumina, palmis
Pectora nec noſtras tunde miſerta vices.
Mors licet infami maneat ſubeunda theatro,
Mors ſubeunda nihil, quo timeatur, habet.
Si tamen optarem ſortis ſupereſſe rigori,
Te propter ſolam viuere dulce foret.
Te propter ſolam poenae me terret imago;
Caetera ſi ſpectem, poena triumphus erit.
Quum mala tot patiar, quot ariſtas verberat imber,
Quod gelido Boreas mittit ab axe niues,
Quid me vita juuet, vitae ſi nomine digna
Perfuſa adſidua tempora amaritie?
Cura ſed haec cunctis pectus mordacior angit!
Conſcia quam culpae mens parit ipſa ſibi.

Non

Digitized by Google

Non objecta mihi fatear quod crimina, matrem
Exutam, et ſoboli praeſecuiſſe colum.
Hoc teſtor moritura deos, fatumque propinquum,
Immunes ſceleris tanti habuiſſe manus.
Vnica culpa fuit, leges violaſſe pudoris,
Virtutiſque ſemel deſeruiſſe viam.
Quod mea ſi fuerat quà culpa pianda, dolore
Iamdudum admiſſi culpa piata foret.
Hoc erat, hoc cur me vidiſti ſaepe gementem,
Tentantem lacrimas ſaepe inhibere meas;
Oraque nunc ipſa niue pallidiora gerentem,
Et nunc inſolitis tincta rubore modis.
Dixiſti quoties: ſub pectore taedia condis!
Ipſa ſed ad cauſas ingenioſa fui.
Et modo vel cordis finxi capitiſue dolorem,
Et modo queſta aeſtus ſum, modo queſta gelu.
Nunc ſero heu! caſus, preſſi qui fortius vrunt,
In matris liceat depoſuiſſe ſinum.
Non aliena ſatis fallaci Alceſtis amori
Corda habuiſſe mei fonſque caputque mali.
Artibus edocto, rudis et non dura, placendi
Hei! mihi praeda capi non operoſa fui,
Quis me blanditiis verbiſque juuantibus aurem
Quis non officiis demeruiſſe ſtudet!

Donec

Digitized by Google

Donec, amicitiae quae reddere ſigna putabam,
Signa vafer flammae perſpicit eſſe paris.
Tunc animi creuere viro, certuſque triumphi
Spe ſocii lactat pectora noſtra tori.
Plenior vtque tibi poſt ſurgeret inde voluptas,
Occuluiſſe tibi foedera pacta jubet;
Arbitrium donec potuiſſet flectere patris,
Nilque moraturum vota pudica foret.
Quae non interea Phoebo convicia feci,
Optatam citius ferret ab axe diem,
Qua te laetitiae conſortem reddere tantae
Eſſet laetitiae pars prope ſumma meae!
Namque et amicitia Alceſtem dignata fuiſti,
Quid mirum, mihi ſi junctus amore fuit?
Cepit amabilitas viſi non fallere vultus;
Indicium vultus pectoris eſſe ſolet.
Qui nitor in primis dulci ſpirabat ab ore,
Quum ſpolium a noſtra credulitate tulit.
Tempora vbi haec ſubeunt, vitae mihi meta beatae,
Paene manu calamus deficiente cadit:
Veſper erat, polus et ſuadebat amare ſerenus,
Blandaque naturae, qua patet illa, quies;
Ad loca quum propero, noſtri quae ſaepe caloris
Conſcia, et in molli gramine membra loco.
Vt procul Alceſtem deprendo lumine, ſurgo,
Multaque do vultu, multaque ſigna manu.

Ille

Digitized by Google

Ille mihi adclamat: felix tibi nuntius adſum!
Feſtinante magis mox volitatque pede.
Mutuaque amplexu poſtquam circumdare colla,
Conloquioque datum jam propiore frui,
Craſtina, ſic pergit, quum coelo fulſerit Eos,
Nos patris adſenſu conſociabit Hymen.
Voce verecunda genetrici pectoris ignem
Quod ſi forte times ipſa aperire tuae,
Cernere maternam mulcentia gaudia mentem,
Craſque implere tuas me patiare vices.
Vt mihi ceu propriam venerari hanc poſſe parentem
Dulce erit, vxorem teque vocare meam.
Nomen ad vxoris videor libare mariti
Baſia caſta genis, baſia caſta labris.
Tempore quoſque jocos alio mage cauta negaſſem,
Ebria laetitia nunc male cauta fero.
Mens vero vt rediit, cupiiſſem ipſius amantis
Occuluiſſe oculis, victa rubore, meos.
Materna et ſubeo tremebundo limina greſſu,
Limina adhuc laeto non niſi tacta pede.
Di! qualis nox acta fuit! quam tardior anno
Viſa! quibus lacrimis ſtrata rigata mihi!
Ipſa mihi judex fruſtra excuſare ſtudebam
Errorem caſti proximitate tori.

Fugerat

Fugerat illa ſibi virtus nil conſcia merces,
Fugerat innocuae mentis amica quies.
Orto ſole nemus notum, juga nota reuiſo,
Si videam Alceſtem forte venire meum.
Inde reuerſa, domi, quam longa eſt, tempora lucis
Exſpecto impatiens, nec tamen ille venit.
Morborum omne genus timeoj, genus omne malorum
Mille pericla poli, mille pericla viae;
Nunc ſubit inſtabilis patris mutata voluntas,
Nunc fragili Alceſtem ſuſpicor eſſe fide.
Atque vtinam hoc vno mens non praeſaga fuiſſet,
Augeretque malum non mihi cauſa mali!
Foeda libidinibus ſemel vt ſatiata voluptas,
Alceſtes fragili ſuſtinet eſſe fide.
Poſſidet et nobis promiſſos altera amores,
Me facie, non me vincere corde potens.
Poſſideatque; tori non tam quam paſſa pudoris
Damna queror, quamuis haec quoque damna queror.
Quanta mihi creuit ſeges vna luce laborum,
Perpetuis fons quam turgidus a lacrymis!
Ex illo placidae luſus periere iuuentae
Tempore, et heu! luctu non niſi paſta fui.
Gaudia, quae reliquas video captare puellas
Spicula ſunt, animi carnificina mei.

Aura

Digitized by Google

Auia per nemorum me tantum errare iuuabat,
Taedia deſertis et ſepelire iugis.
Iamque videbatur finem impoſitura dolori
Atropos, ad fletus quum noua cauſa venit.
More meo loca ſola petens vehementius angor
Pectora, adhuc lenta non viſi tacta lue.
Viſcera inadſuetis cruciatibus ima fatiſcunt,
Sentio et inſolito membra tremore quati.
Nec mora, inexpertae nec quidquam tale timentis
Voluitur ante meos paruulus ecce pedes!
Pectore in ambiguo certabat amorque pudorque,
Sed tandem victus ceſſit amore pudor.
Infantem tollo, quum pondere preſſa malorum
Prona ſuper nati membra tenella cado.
Vix animam amplector ducentem ac multa gementem,
Languidula et foueo vulnera facta manu.
Mox puerum vitam maternis ponere labris
Et video in gremio pondus inane meo.
Terreor, et viuum jaceo proſtrata cadauer,
Lumina hebent fracta ſemadaperta face.
Omnis membra calor linquit, vultum color omnis,
Si tamen in vultu quis fuit ante color.
Quin etiam perhibent, modo deficiente loquela
Non intellectos ora dediſſe ſonos;

Et modo lamentis atque horrifico vlulatu
Planctibus et totum perſonuiſſe nemus.
Reddita mi tandem ſtupeo juueneſque ſeneſque.
Vndique foemineos et glomerare choros.
Pars me tollit humo, pars compede crura manuſque
Vincit, et in nigri carceris antra rapit.
Et propria ſoboles ſaeuiſſe in viſcera dextra
Iudicis incauti ſuſpicione premor.
Carnificiſque caput forſan cadet enſe reciſum
Membra vel expandam dilanianda cruce.
Hei mihi! perduxit quo me mea culpa! barathro
Heu! quam terribili praecipitata ruo!
Haec illa eſt igitur (ſi verax fama) Neaera
Vltima non ſocias inter habenda ſuas!
Vnguibus a teneris virtus cui ſola voluptas,
Carior et vita cura pudoris erat.
Heu quantum a priſca mutata Neaera Neaera,
Heu quantum matri degener illa ſuae!
Sic tua juſſa ſequor! curis haec praemia reddo,
Quis formata tibi noſtra juuenta fuit.
Anne parum, vita tibi ſi, bona mater, amaras
Reddiderim noctes, reddiderimque dies,
Quod mihi conſpiceres inſana viſcera rodi
Peſte, juuentutis flore abeunte meae,
Dedecus hoc fato tibi ni crudele pararem,
Teque meo perdam mortua ſupplicio?

Quod

Digitized by Google

Quod tua ſi pietas velit haec ignoſcere, de te
Et male praeterea quod meruiſſe queam,
Haec ſaltem ad manes ſolamina ferre licebit,
Lugendaque minus rebor obire nece.
Iamque vale, et triſtem natae obliuiſcere ſortem,
Vel potius natam non habuiſſe puta.

I. H. Hoevfet.

IN OBITVM TOBIAE MAYERI.

Te maris, et terrae, et magni ſine limite coeli
Menſorem cohibent, *Mayere*,
Pulueris exigui prope clauſum paruula templum
Munera; nec quidquam tibi prodeſt
Rexiſſe errantem lunam, mouiſſeque ſummo
Sidera fixa polo morituro.

Quod nauta Horatianus cineribus Archytae fecerat, idem *Mayeri* memoriae faciens ſcrib.

A. G. Kaestner.

Digitized by Google

IN MORTEM FILII VNICI.

ELEGIA

AD DISCIPVLOS SVOS.

Inde, vbi *Sala* pater per amoena vireta volutus
Florida raucisono flumine rura ſecat;
Quo mihi felices quondam iuuenique viroque
Lumine fulſerunt ſplendidiore dies;
Inde, vbi nunc duri medicamina quaero doloris,
Haec Vobis lacrimis littera ſcripta venit.
Iure etenim lacrimae mihi, quas triſtiſſima luctus
Elicit ex imo pectore cauſa, fluunt.
Iure fluunt triſti patris ex complexibus, eheu!
Vnice, ſublato funere, nate, tibi.
Omnia nam tecum perierunt gaudia vitae,
Noſtraque morte tua eſt tota ſepulta domus.
Vnica tu nobis reſtabas, nate, voluptas.
Vnica et in te vno ſpes mea fulta fuit.
Tu mihi, ſi triſtes lacerabant pectora curae,
Curarum ſemper ſuaue leuamen eras.

Dura

Digitized by Google

Dura videbantur te viuo mollia, amara
Adſpectu mihi ſunt dulcia facta tuo.
Omnia ridebant mihi te ridente parenti,
Omnia florebant flore virente tuo.
At nunc, mors poſtquam mihi te crudelis ademit,
Triſtia vipereo tempora felle madent.
Te ſine dulce nihil mihi nunc, dulciſſime, tecum
Vitae delicias condidit vna dies.
Nunc ſtudio et Muſis tota de mente fugatis
Mollia flebilibus carmina fundo modis.
Qualibus abſumti ſub frondibus arboris ales
Fata Ityli moeſto Daulias ore gemit.
Ergo, quod demens fieri vix poſſe putabam,
In gelida ante diem, parue, quieſcis humo?
Quarta tibi nondum uiuenti venerat aeſtas,
Sed tuus in primo flore nitebat honor.
Nec tamen a tenero viridantis corpore floris
Abſtinuit rapidas mors violenta manus.
Sic flos purpureus viridi modo natus in agro
Vomere conſciſſus praetereunte iacet.
Sic roſa ſaepe breuis moritur, ſic alba grauatum
Lilia demittunt imbre cadente caput.
Amplius haud ergo patris ad latus, vnice, poſthac
Paſſibus haud aequis ibis, vt ante, comes?
Amplius haud blanda me *patrem* voce vocabis?
Nec ludes noſtros amplius ante pedes?

Digitized by Google

Amplius haud tecum docili cupidoque ſciendi
De varia rerum conditione loquar?
Nempe ſtatim primis iam praefulgebat in annis
Diuitis ingenii vena benigna tui.
Hinc mihi iam caeca fingebam mente paterna
Gaudia de nato percipienda meo.
Omnibus his ſaeua nati nunc morte reciſis
Ah! miſer in ſola tempora duco domo.
Vos, o dicipuli, vos ſoli mite poteſtis
Solamen viduo ſuppeditare patri.
Vos mihi reſtatis ſoli, quos more parentis
Toto animo, tota mente fouere licet.
Vos, ſcio, vos omnes tenero quoque pectore amatis
Me veſtrum ad Pindi culmina ſacra ducem.
Vos quoque fraterno demnlcebatis amore
Nunc humili tectum ceſpite filiolum,
Omnia qui veſtrum paruus bene nomina norat,
Vobis cumque ſimul, quando licebat, erat.
Hinc quoque veſtra cohors, (ſit maxima gratia vobis,)
Iuit tota dolens eius ad exequias.
Hunc ſeruate, boni, mihi, vos rogo, ſemper amorem,
Nubila ſi cupitis pellere mente mea.

Interea,

Digitized by Google

Interea, dum ſata iubent me ducere vitam,
Te ſemper moeſta voce, ſepulte, querar.
Nec ceſſabo tuum lacrimis vrgere ſepulchrum,
Quo lapis his ſcriptis ſtet ſuper oſſa notis:
Vnicus hic ſitus eſt natus, ſpes vnica patris;
Vnice nate, tibi molliter oſſa cubent!

F. G. Doering.

A D
AFFINEM PATRIS,
OCTOGENARII, NATALES CELEBRANTEM
1782.

Felix, nepotum qui ſobolem piam
Sancti parentis ducis ad oſcula
Et res, auo narrante, priſcas
Aure vides cupida bibentem!

Haerent tenellis pectoribus ſenis
Praecepta diui, quem, ſapientiae
Exemplar antiquae, capillo
Suſpiciunt niueo decorum.

Digitized by Google

Jamjam corona cinctus amabili
Largis docebit non ſine lacrimis,
Te, Te moram inſtanti ſenectae
Indomitaeque tuliſſe morti.

„Tales" trementi voce precabitur
„Tales ſuos huic cernere liberos
„Detur" — nec amplexu volentem,
Dicere plura ſines repenti.

Quas ſi parentis mi liceat preces
Audiſſe — molli tunc mihi lumina
Nox ingruens condat ſopore,
Comprimat & pater ipſe dextrâ.

G. L. Spalding.

ELEGIA.

Vitis vt arboribus latus adplicat arcta corymbis,
Vtque apium vivax vlmus amica ligat:
Idaliae vt volucres roſtro obluctantur anhelo,
Dum manus incautas inſidioſa premit:
Sic vtinam iungi nos, fata, ſinatis amore,
Sic vtinam iunctos apta labella premi.

Tunc

Digitized by Google

Tunc ego deſpiciam Bacchi felicia et horti
    Munera, regales deſpiciamque dapes.
Aſt illi male ſit, qui nos diducere amantes,
    Amplexuſque fero ſoluere corde paret.
Atque vtinam nexis animam deponere labris
    Detur, tunc alis, Mors, tegar, atra, tuis.
Tunc moriamur, olens vbi myrtis ſilua coruſcat,
    Terraque complexos occulat alma ſinu.
Aſt animas, ſedes monſtrant vbi fata beatas,
    Flamine coniunctas aequior aura vehat.
Ver vbi perpetuum, Zephyriſque tepentibus aër
    Purior ambroſio mulcet odore nemus.
Prataque ſubrident vario diſtincta colore
    Et fons perſpicuis vitreus exit aquis.
Concentuque auium reſonant virgulta ſonoro,
    Et Philomela nouos eliquet ore modos.
Atque hic, quem mala ſors miſerum turbarat, amorue
    Infelix, votis quisque potitus ouat.
Hic Sapphus tandem iuuenis miſeratus amorem
    Incenſusque Phaon aeſtuat igne pari.
Hic Petrarcha ſuis Lauram circumligat vlnis,
    Qua fons blandiloquo limpidus ore ſtrepit.
Amplexamque tenet felix Abelardus Eliſam
    Tutior, et dominae monſtrat amoris iter.
His vtinam immixti carpamus candida mente
    Gaudia, depropereſt hanc modo fata diem.

HARPAX HIC SITVS EST.

Quisquis es o iuſtis lacrimis perfunde ſepulcrum:
Humano generi fata dolenda dole.
Harpax hic ſitus eſt, qui multis multa nocebat
Viuus; defunctus iam nocet ille magis.
Huic poſtquam licuit faro decedere honeſto,
Quis poſthac poterit praedo timere crucem?

HEVSINGER.

I D A.

Ergo ego perpetuo fallaci vinctus amore
Conquerar aetatis fata maligna meae?
Ergo ego vernantem ſtultiſſimus vsque iuuentam
Ingratae perdam ludibrium dominae?
Surdior, Ida, freto ſtridenti, immitior Ida
O minus Idalio mobilis Ida iugo!
Non te blanditiae, non te lamenta mouere,
Non fuſae, amplector dum tua crura, preces,
Non, caſto contenta toro, te flectere vota,
Non ducta in laudes carmina ſaepe tuas,

Non

Digitized by Google

Non anni potuere nouem, non mille labores,
    Non toties longae ſpreta pericla viae,
Inue tuam faciem vigilatae tempora noctis,
    Aut ſtudiis periens hora diurna meis.
Vnum erit auxilium, noſtri tibi taedia tollam,
    Sic animis potero, ſaeua, placere tuis.
Scilicet extremas procul hinc fugiemus in oras,
    Vt toto a facie diuidar orbe tua.
Vt longe a laribusque tuis, patriaque remoto
    Spes quoque viſendae ſit mihi demta tui.
Seu trucibus colitur qua imberbis America Mauris,
    Seu Guinea feras qua fera nutrit humus;
Qua deſideriis et longa tabe peremto
    Contingent ipſo fata gemenda loco;
Qua non vlla, choros buxo ducente ſupremos,
    Placabit moeſtis naenia funeribus;
Nec licet ante diem raptum, comitare parenti
    Ad ſtructos dabitur corpus inane rogos;
Nec miſero in partem veniet cum patre doloris,
    Quae ferat in cineres vltima dona, ſoror;
Quaque anima haud labris erit excipienda propinquis,
    Lumina cognatas nec ſubitura manus;
Qua, licet ipſa meo ſis denique mota dolore,
    Non facies lacrimas combibet, Ida, tuas;
Oſcula nec gelido pones morientis in ore,
    Nec ſparges tonſas in mea buſta comas;

Sed

Digitized by Google

Sed de vexato ſuperet quae corpore, partem
Condet in inuiſo barbara terra ſinu;
Vmbraque Nigritias errabit mixta per vmbras,
Hoſpita per manes vmbra Bataua feros.
Ida tui faſtus, ſero tum te, Ida, pigebit;
Duritiae euentum diſce, ſuperba, tuae.

LAVR. SANTENIVS.

QVVM
REGE BORVSSIAE
E BELLO REDEVNTE
IRIS IN CAELO PVLCHERRIMA
APPARERET.

Arcus victori reduci Roma alta parabat,
FRIDRICO reduci ſed polus ipſe parat.

POLYDORVS NEMAEVS.

CARMEN

Digitized by Google

CARMEN SEMISAECVLARE.

PRAEFATIO
AD
GEORGIVM III.
M. BRIT. REGEM.

Et me Latinae rore Aganippidos
Sparſere Muſae non humili modos
Lyra ſonantem, deſidesque
Remigio dederunt procellae

Calcare nubes, et Superum frui
Coetu, coruſci quo neque fulminis
Satelles eluctatur alis,
Nec rabies Aquilonis atri.

Quo me recluſis Emathiae iugis,
Diuae, iubetis flectere? quem virum aut
Heroa, teſtudo, Deumue
Praecipis ingeminare chordis?

Tu

Digitized by Google

Tu limes eſto carminis, o Deum
Propago felix, delicium Tuae
Gentis, GEORGI, Guelphicaeque
Spes et amor columenque terrae.

In Te, priorum quicquid amabile,
Quicquid perenni carminis alite,
Tantique maieſtate dignum
Imperii ſeries patrauit,

Refulget Vno. Promeritam Tibi
Submittit vmbram parta pedeſtribus
Laurus triumphis, omnibusque
Oceanus Tibi ſeruit vndis.

Te Fas Piumque et iuſtitiae tenor
Comesque Virtus condecorant Tuo
Cognata ſceptro, queis vtrumque
Magnanimus moderaris orbem.

Tu grata praeſtas otia ciuibus
Pacemque terris. Tu Chariſin piis
Litans acerris liberali
Hoſpitio recreas Camenas,

Tuam-

Digitized by Google

Tuamque, qua nil pulchrius ignea
Deſpectat aethra Sol, Academiam
Per dena iamiam deuolutam
Luſtra foues ſtudio paterno.

O ſerus olim lucida, quae Tibi
Pia, GEORGI, mente dicauimus,
Humana faſtiditus, intres
Sidera, conciliumque Diuum.

CARMEN SEMISAECVLARE

D. XVII. SEPT. CIƆIƆCCLXXXVII.

IN TEMPLO ACADEMICO

CONCENTV FESTO DECANTATVM.

Haec illa lux eſt, quam nouus aurea
Diffudit aethra Sol precibus piis
Diu vocatam, priſtinaeque
Saecla iterum meliora venae

Exordientem: Iam ſociis fremat
Incenſus aether plauſibus, et vagus
Exſultet vndarum cachinnis
Lina Pater, tumidusque lato

Digitized by Google

Se iactet alueo: Tuque GEORGIA
AVGVSTA mater, Mercurialium
Nutrix virorum, quam Iuuentas
Sidereo radiata nimbo

Altique gaudens Gloria, et Artium
Stipata Virtus concilio latus
Ambire gaudeut, iam ſuperbos
Sume habitus, animoſque tolle.

Iamiam receſſus fas Heliconios
Luſtrare cantu, Pierii fluant
In carmina hauſtus, lucis almae
Conſcia Apollineaeque laurus.

Auditis? an me ludit amabilis
Imago vocis? iam propior tumet
Facundus amnis, iam canoras
Noſſe datur cupida aure voces.

En ipſa Cirrham doctaque Phocidos
Fluenta mutans virgineis ſacra
Caterua Latoi choreis
Adfluit, ambroſioque lucem

Signare

Digitized by Google

Signare geſtit carmine, quo ſolum
Vaſtique tractus aetheris entheo
Vultu renident, et quietis
Flumina traiiciunt ſuſurris:

„Salue auſpicato ſidere deflua
„Propago Phoebi, fauſta Dies, tuo
„Caligo, quae paſſim nigrantes
„Concutiens agitarat alas,

„Euicta ceſſit munere, Tu ſimul
„Orbi reluxti, protinus vberes
„Graiique mellis et Latini
„Nectaris emicuere riui.

„Tuque o, curuli quem Dea turbine
„Per vaſta mundi per ſuperas domos
„Tandem fatigatum triumphis
„Sceptra ſuper trabeasque vexit

„Sequeſtra virtus, huc age lucidos
„Greſſus, GEORGI, ac propitius ſacras
„Tuere, quas Tibi profuſis
„Floribus adcumulamus, aras.

Digitized by Google

„Tu lucis almae Conditor et Parens,
„Tu nos Olympi Pieriis iugis
„Huc euocaſti, pacis artes
„Per populos, Duce Te, ſerentes.

„Tu, ſeu Gradiui tolleret aerea
„Ariſta campos moenibus horridam
„Minata labem, ſeu cruentis
„Vorticibus grauis aeſtuaret

„Armata Tethys Heſperiam ferox
„Motura Calpen, praeſidium Tuis
„Praeſens ſtetiſti, Martiales
„Numine diſiiciens tumultus.

„Nec cura noſtris proſpiciens bonis
„Ceſſauit vnquam: vicit AVVM NEPOS,
„Quem creditum terris vterque
„Obſequio veneratur orbis.

„ILLE, ILLE noſtros detulit in ſinus,
„Dilecta Diuis pignora, Regiam
„Stirpem; quid exoptare maius
„Palladii potuere colles?

„Tantis-

Digitized by Google

„Tantisque felix auſpiciis Patrum
„Auguſtus Ordo ſuſtinuit cata
„Virtute res noſtras, futuri
„Prouidus, atque Tuam ſequaci,

„MVNCHHVSI, adurgens impete ſemitam,
„Qua Te citatis Fama iugalibus
„Leuauit, aeternaque laurus
„Emeritae redimiuit vmbra.

„Sic o ſecundis vſque laboribus
„Nutrita creſcas, alma GEORGIA,
„Tuumque nomen Poſterorum
„Sera colant, ſtupeantque ſaecla.

IVPITER ET OVIS.

Inter Leſſingianas Lib. II. Fab. XVIII.

Olim, miſeriis vt mederetur, Iouem
Ouis rogauit, eſſe vix animal, dolens,
A quo tueri ſe queat. Vultu audiit
Deus benigno, et, feci inermem te, pia,

Digitized by Google

Inquit, ſed opta, quod tibi armorum velis.
Vt inſit ori fulmen? vnguibus pedes
Acuantur? illa, nil, pater, mihi cum feris
Commune cupiam. Vt imbuam, pergit deus,
Viro ſaliuam? Contra ouis, tanto in odio
Serpentum vbiuis eſt venenatum genus.
Quid ergo? Robur nempe ceruici dabo!
In fronte figam cornua! at ſupplex ouis,
O parce, parce, quaeſo, ne tamquam caper
Petulca fiam! . . Ne tibi vero audeant
Alii nocere, opus eſt, vt ipſi ſit tibi
Aliis nocendi copia . . Sed ouis gemens,
Hoc ſi quidem opus eſt, ſim, bone pater, quae fui.
Studium nocendi copiam metuo ſequi,
Patique praeſtat, quam patrare iniuriam.

Placuit bono Ioui indoles. Felix ouis
Hac eſſe iuſſa, neſcit ex illo queri.

AVENARIVS.

EPITA-

EPITAPHIVM.

Vir bonus et ſapiens, tumulo qui clauditur iſto,
Zechius, Auguſti regis amicus erat;
Deſpiciens aulae genium, faſtusque dolosque,
Siſtere quae haud potuit, publica fata tulit;
Exuuias poſuit mortales, munere functus,
Felix, qui patriae non videt interitum *).

*) Verſiculos memoria retinui, ex quo ſcriptos olim oſtendit *Globigius*, tum in domo Comitis *Manteufelii* Lipſiae degens. De auctore vel quaerere nefas fuiſſet, quem, tunc ſaltim, oportuit bene latere, ſi bene vivere voluit. *Zechium* virum antiquis moribus fuiſſe, ipſe aliquando expertus ſum. Anno 1745. Profeſſor extraordinarius factus, nundinis proxime inſequentibus Lipſiae commoranti gratias agebam. Secedentis humerum beneuole palma tetigit, addito monito: *Werde er nun nicht faul.* Iucundum erat hoc amicis narrare, quorum vnus obſeruauit, *Zechium* ſine dubio nouiſſe, qui poſt quaedam diligentiae ſpecimina munus aliquod conſecuti, hoc monitu indiguiſſent.

A. G. Kaestner.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

VIRO

LVDOV. FRID. L. B. DE BEVLWITZ.

Nec Te ſorores Caſtaliae ſuis,
BEVLVICI, inornatum fidibus ſinent,
Quem ſtemma longum, quem vetuſto
Stemmate ſplendidior coruſcae

Clarauit vmbra tempora laureae,
Veraeque anhelum laudis iners ſupra
Vulgus locauit, feruidumque
Aërio dedit ire cliuo

Aſcraea Virtus. Nominis hinc Tui
Oeſtro tumeſcens, rapta volucribus
Bigis, inexhauſta per orbem
Fama refert, celebratque voce,

Quantum Hyanteis Tu ſteteris decus,
Perſtesque Muſis, quae Tibi roſcidas
Nectunt corollas, qua quietum
Radit iter taciturna Lina.

Per

Per te renato robore viuidus
Scientiarum flos caput altius
Exſertat, afflatu ſalubri
Te teneras animante fibras,

Lateque odora vi ſimul obruit
Et plana terrarum et liquidas plagas
Inebriatas, quem ſenecta
Neſciet vlla dies caducum.

ANSER ET LVPA.

Inter Hagedornianas Lib. II. Fab. X.

Nobis ſalutem debuit Capitolium;
Hinc anſerinam fortitudinem probo,
Ait et ſuperbus anſer innatat lacu.
Lacus in ora ſtat lupa et, nos, clamitat,
Nos vagienti ſponte dedimus Romulo
Fratrique mammas, nam miſericordes ſumus.
O ſi vtriuſque, pergit anſer, indoles
Nota eſſet homini! namque manſuetum lupo
Natura pectus, anſeri firmum dedit.
Dum gloriatur, conſpicit miluum procul.

Digitized by Google

Totoque trepidat corpore, impotens ſui.
Puerum lupa videt in via, et cupide volat.

Vt vana ſaepe eſt praedicatio ſui!

AVENARIVS.

AD CVPIDAM LEGVM IVVENTVTEM.

Munere quo Diuum, pacis quibus artibus olim
Extulerit rutilum Martia Roma caput;
Quae congreſſa Numae Dea iura, ſilentibus vmbris,
Vulgarit tacitis vallibus Egerie;
Quae facies fuerit, regum cum ſola libido
Verſaret gentis pectora Romulidum;
Mox vbi ſceptra feri manibus deiecta tyranni,
Partaque Aventina fulſit ab arce ſalus:
Aequatis placide fundatam legibus vrbem,
Quaeque illas ratio ſuaſerit apta coli;
Sors quibus infeſtis agitata eſt publica fatis,
Cuius felici munere recta ſtetit;
Scipiadasque truces armis, Gracchumque furores,
Spargentemque foro te, Catilina, faces.

Qua-

Digitized by Google

Quaqne, tuens Italo trepidam Pax candida caelo
    Vrbem, funeſtas ſtrauerit arte minas.
Qualis et infeſtans furiis ciuilibus orbem
    Vaſtarit Latium ſaeua Megaera ſolum;
Donec in aetherias Libertas cederet auras,
    Et gemeret ſeruum Roma ſubacta iugum.
Caeſare ciuiles domino ductante triumphos,
    Aſperaque e ſolio iuſſa ferente nouo.
Haec *Vobis* , haec noſſe prior ſit cura, *Sodales.*
    Hinc ſeſe *Veſtrum* viuidus ardor agat.
Hinc via ſe Themidis fert ad penetralia ſanctae,
    Claro vbi contingi lumine ſe patitur,
Grata oculis, grata inceſſu, vultuque decora,
    Quaeque ipſi pomum praeriperet Veneri.
Alciato qualem primum ſe pura videndam,
    Qualem *Cuiacio*, *Grotiadae*que dedit.
Hac graſſata via eſt virtus diuina *MerillI*,
    Improbus hoc laudis *Noodtius* vrſit iter.
Nec vos, *Vilingi*, Themis auerſata vocantes,
    *Vinni*que, o Bataui nomina quanta ſoli!
Horum age contiguo legite o veſtigia greſſu,
    Quos adflat ſolidae pectora laudis amor.

Digitized by Google

IN HOMINES DELICATVLOS GALLIS CHAPEAVX DICTOS.

Hominum eſt venuſta quaedam natio, *pileos*
Vocat hanc venuſtus oris Gallici lepos;
Sed rectius venuſtiusque diceres
Poëtico vſus ore, *fungos*: ſic foret
A parte principali nominatio.
Nam corpus omne fungi leuat pileus.

LENZ.

LINARIA

inter Lichtwerianas lib. II. fab. VI.

Egreſſa cunis non diu linaria
Luſtrare ſiluas coepit, et domum ſibi
Peculiarem velle, conſilio bono,
Nam rex, vt aiunt, eſt, cui ſuus eſt focus.
Optare quercum, ſuadet aetatis calor.

Hic,

Digitized by Google

Hic, inquit, habitabo, vnus vt Iouis armiger,
Nec talem habere cuilibet nidum datur.
At vix pararat, ecce, fulmen deſtruit.
Fuerat miſella forte fortuna foris.
Adeſt, reducto ſole, et exuſtos lares
Tactumque robur nec ſatis tutum videns,
Pari temeritate inter humilia pendulum
Virgulta tectum, proxime terram, locat.
Iterum migrare puluis ac vermes iubent.
Quid ergo faciat? Tertiam nemoris ſibi
Dulci in fruteto paruulus ponit faber
Nec humo propinquam nec Ioui nimis domum.
Hic vſque viuit ſorte contentus ſua.

Hac re probatur, nec palatia, nec caſas
Habitare, ſi quis exigat placidos dies.
Mediocritatem, ſi ſapis, ſuperos roga,
Vt ſis, cui idem pareas et imperes.

Avenarivs.

IARICVS,

Digitized by Google

JARICVS,

PVELLAE AMERICANAE

AD

YNCLVM,

ANGLVM.

EPISTOLA.

Quae legis, Yncle, tibi mittit nunc ſerua, ſed ante
Pectoris Iarico pars bene magna tui.
Si quid in his cernes inculti forte tabellis,
Da veniam, ſcribens barbara quippe fuit.
Barbara certe ego ſum, ſed quae non fallere noui,
Non Europaeos diſſimulare dolos.
Vt tibi, ſi reliquis ſic artes pectora formant,
Quantum ruſticitas anteferenda fuit!
Et tamen hi mores iactari ſaepe ſolebant,
Terraque, neſcio quae, ſaepe Britanna tibi.
Credulitas nocuit, nocuit fallacia amantis
Pectora pectoribus adſimilaſſe meis.
Felicem, notas cingenti indagine ſiluas
Vita mihi patriis ſi periiſſet agris!

Sic

Digitized by Google

Sic non ſeruitium, ſic non ego verbera noſſem,
Nec tremerem ad nutus cuncta iubentis heri.
Quid potui poena dignum committere tanta?
Diligere ingratum maxima culpa fuit.
Non ego, pollicitis thalami decepta iugalis,
Debueram lateri conſeruiſſe latus.
Haec dos pacta mihi! quamquam non dos mihi pacta,
Solus at ingratae tu mihi cauſſa viae.
Haec rota me niueis vectura per oppida bigis!
Haec trabe marmorea conſpicienda domus!
Haec aurata meo geſtanda monilia collo,
Quaeque mihi falſus plura ſpopondit amor!
Talia ſeruatae redduntur praemia vitae,
Cogar vt heu! letho deteriora pati?
Talia reddantur; vel ſic non poenitet acti.
Ipſa ſatis pretium mens generoſa ſibi.
Vt meminiſſe iuuat, quam me ſincera voluptas
Contigit, hoſpitium te ſubeunte meum!
Forte pererrabam iaculis armata ferarum
Teſqua, vbi frondoſis ſilua ſtat alta comis;
Quum ſubito tumidis agitatur fluctibus aequor,
Et grauis effuſa decidit imber aqua.
Auditur tonitrusque fragor, ſtridorque Notorum,
Nec lux vlla, niſi fulminis igne, micat.

Haud

Digitized by Google

Hanc procul adparet ſcopulis adliſa carina,
Irato ſpolium mox peritura mari.
Dum trahit adtonitam peregrinae machina formae,
Ante oculos conſtat naufragus ecce meos!
Vix pede ſemianimis titubanti membra trahebas,
Nec, me praeter, opem qui tibi ferret, erat.
Commoueor, mox et (pietas me ſola iubebat)
Te duco ad patriae ruſtica tecta caſae.
Limpidulique ſitim pello tibi fontis ad vndas,
Et facili victu, quem dabat herba, famem.
Corpora quis ponas, ſternuntur terga ferarum,
Pro madidis ſicca membraque veſte tego.
Interea inſolitum mirans modo frontis honorem,
Et modo candenti qui micat ore rubor,
Et modo non noſtro volitantes more capillos,
Neſcio quam ſenſi ſerpere in oſſa facem.
Non iuuat aut pictas in litore quaerere conchas,
Aut ſocias inter ludere, vt ante, meas.
Quin etiam memini, me ſeptem ex ordine luces
Aegrotam nullas exagitaſſe feras.
Membra notat macies, linquitque cubilia ſomnus,
Adpoſitum libat vix mihi lingua cibum.
Adque tui adſpectum demittens lumina vultus,
Vox mea quod nequiit dicere, dixit *amo.*
Tu quoque viſus eras duro non robore natus,
Tu quoque feruores aequiparare meos.

O quo-

Digitized by Google

O quoties, noſtrae poſtquam data copia linguae,
Me fore iuraſti tempus in omne tuam!
Quam poterim vultus, dicebas, linquere amatos,
Ante ſuas vertent Lunaque Solque vices.
Lunaque Solque vices vertant; non linquere tantum
Suſtinuit; ſeruam vendit amator hero.
Haec tamen ante oculos tibi quid, male grate, repono,
Duritiem flecti ceu rata poſſe tuam?
Quem non tanta fides, tantus non molliit ignis,
Huic valeant nudi frangere corda ſoni?
At, puto, natura ſaltem ſtimulante mouebit
Heu male foecundi flebile ventris onus.
In tua quid ſaeuire iuuat te viſcera, noſtrae
Sortis et infantem reddere participem?
Tene ego, tene, infans, emittam in luminis auras,
Vt vix nata gerat vincla pudenda manus?
Vt, pro deliciis telluris mille Britannae,
Immineant vitae taedia mille tuae?
Tu ſolo referens vultu, non pectore, patrem,
Ingenuo fati pectore vince minas.
Iniuſtam et miſerae ſortem ſolare parentis,
Vdaque baſiolis lumina terge piis.
Aut ſine me comitem ſi te ducturus abire
Differat, hoc pretio te caruiſſe iuuet.
Vana precor; rapidis iamiam turgentia vela
Flatibus, Yncle, ratem votaque noſtra ferunt.

I ſe-

Digitized by Google

I felix! non ſic ſum priſcae oblita fauillae,
Vt libeat capiti dira vouere tuo.
Et tibi quid nimbos, quid triſtes imprecer vndas?
Conſcia ſupplicium mens erit ipſa ſibi.
Quum tibi perpetui lacerabunt pectora morſus,
Et ſpectra horrendis prodigioſa modis;
Mille tibi obiiciet mea quum periuria imago,
Perturbans requiem nocte dieque tuam;
Vaticinor, cupies me quolibet aere redemtam,
At mihi iam lethum meta doloris erit.

HOEVFT.

IN OBITVM
MOSIS MENDELIDIS.

Deformi pulchram ne credas corpore mentem
Laetari, exemplum reſpice Mendelidis.
Carceribus digreſſa ſuis diuinior aurae
Pars recolit laetum laetior ipſa polum.

LENZ.

Digitized by Google

VITAE RVSTICAE LAVDES.

Felix! cui, ſtrepitu procul vrbanoque tumultu
Concedunt placidos rura beata dies.
Felix! qui, curis et ab ambitione remotus,
Priuato vitam ſub lare pauper agit:
Qui voti exiguus, parto contentus aceruo,
Non cumulat denſas ſemper auarus opes.
Saeuiat, et variis agat hunc Fortuna procellis,
Nil, mala quod demat, laeta vel addat, habet.
Quodſi non Phrygiis ſurgat domus alta columnis,
Nec ſit inaurata conſpicienda trabe;
Tutior at faciles frondente ſub arbore ſomnos
Captat, et ad fontis lene fluentis aquas:
Seu nemus in ſcenae faciem, ſeu frigida Tempe,
Antraue, Hamadryaſin grata latebra, placent.
Quodſi marmoreas numeroſa nec obſidet aedes
Mane clientelae ſubdita turba ſuae;
Suauius eſt riui, quam vulgi murmura, murmur,
Suauior arboreas quae quatit aura comas.
Et modo ridentem ſecurus oberrat agellum,
Et modo lanigeras ipſe recenſet oues.

Nec piget interdum duros ſubiiſſe labores
Ruris, et agricolae flectere aratra modo;
Nec lolium infelix pudet exſtirpare ligone,
Fertile nec motae credere ſemen humo.
Sic poſitis terram ſubigebant faſcibus olim,
Quos tulit intonſos Martia Roma viros.
Caſtra pari cura diſponere, et arua peritus
Sollicitat raſtri dente Senator agros:
Et lauro incuruum praecingens victor aratrum
Ruricolis ponit parta tropaea deis.
Quis Cincinnatum? quis te, Serrane, ſerentem
Neſciat? aut Fabium? quis Curiiue focum?
Arua Coruncani, coluerunt arua Catones,
Aruaque Fabricii, Scipiadumque manus:
Illa manus, Libyae clades, Carthaginis horror,
Et, Phoeniſſa, tuas frangere nata domos?
Quid? non te flores et vidit prata rigantem
Tmolus ab excelſo, Cyre beate, iugo?
Nunc eat, et neget haec imitari nomina quisquam;
Quod decuit reges, quis ſibi turpe putet?
At ſi ſecurae capienti commoda vitae
Natura ingenii diuitis addat opes;
Si mentem ingenuas amet excoluiſſe per artes,
Pierios ſi non negligat ille choros;
Altior humana ſibi ſorte beatus Olympum
Aſſerit; aeternis proximus ille Deis.

Hic

Hic igitur veterum verſat monumenta virorum,
Quos Graii aut Graiis aemula Roma dedit.
Aut leges, Natura, tuas ſcrutatur, et alto
Aetherias animo tentat adire plagas:
Quis Deus hanc mundi moderamine temperet arcem,
Conſulto an caſu fulmina miſſa tonent:
Quae lex aſtra regat, quo Delia luceat igne;
Currere vel Titan quod videatur iter:
Vt bis terna petant communem ſidera Phoebum,
Vtque eadem refuga vi per inane volent;
Vt circumfuſo libretur in aëre moles
Moles, ponderibus pendula terra ſuis:
Vnde tremant montes; fluat et cur refluat aequor:
Vnde niues: venti qua veniantque domo.
Doctorum aut ſtudiis animum emendare Sophorum
Nititur, et quid ſit iuſque piumque notat.
Quae ſummi natura boni; virtuſne beatum
Reddat, an aurifero quae vehis, Herme, ſinu.
Hic poſt Antiquos voluit quoque ſcripta Nouorum,
Poſtera quos Priſcis ſecla tulere pares.
Excipit has artes blando modulamine Muſa,
Seriaque argutis temperat illa iocis.
Saepe iocos tamen et veniunt, et ſeria ſaepe
Rumpere amicorum dulcis ab vrbe cohors.

Digitized by Google

Et modo, quae didicit, tranquilla mente reuoluit,
Molliter in riui margine compoſitus.
Interea dulci dum paſcit imagine ſenſus,
Occupat en furtim lumina victa ſopor:
Rana ſile, placidam ne turbes rauca quietem,
Conde ſub obſcoenis ora pudenda vadis.
Conciliant volucres nemoriſque ſilentia ſomnum,
Quaeque ſuſurranti ſibilat aura ſono.
O ſtudiis o vita animo opportuna colendo!
O rura! Aoniis apta theatra viris!
Sic quondam exiguis Epicurus vixit in hortis,
Quaeque Epicureas turba ſecuta vias;
Sic Academiae dilexit nomine villam
Primus in Auſonio Tullius eloquio;
Aſcraeisque Senex cecinit qui collibus vuas,
Doctus et Aſcraeae par cecinisſe lyrae.
Banduſia, et vallis placuit tibi, Flacce, Sabina,
Et vicina Pado ſilua, Tibulle, tibi;
Sic via Flaminiae quae Clodia iuncta videbat
Rura, dabant Muſis otia, Naſo, tuis;
Otia, Bilbilico quae Nomentana poëtae
Auſonio a proauis villa relicta dabat.
Praedia non referam, Alcinoi ſuperantia, Plini,
Nec, Luculle, tuis aemula xyſta canam.
Fertilis irrorat qua Clauſam Sorgia Vallem,
Maxima Cecropiae cura Petrarcha Deae,

Et

Digitized by Google

Et famulae conſors menſae, conſorsque laboris,
Delitet ignota per duo luſtra caſa.
Quid nunc Lotichium, Molſasque, Actique receſſus,
Heinſiadaeque vrbis, Broukhuſiique fugam,
Atque alios memorem, qui pauperis otia ruris
Vrbanae vates praepoſuere togae?
Pootius occurrat, Muſae ſtupor ille Batauae,
Nec cithara Hooſtiade Vondelioque minor:
Laeua tenet ſtiuam, Clarium ſed dextra libellum,
Mugitu rumpunt carmina lecta boues.
Dat locus ingenium: gaudent et rure Camenae,
In parua latuit Cynthius ipſe caſa;
Hinc rure ingenium manifeſtior afflat Apollo,
Entheus a caelo lapſus et ille furor.
Catſius hic curas, vitatque Hugenius aulam,
Et canit agreſtes dignus vterque lares.
Quam iuuenile melos! domini licet alba ſenectus
Ockenburgiaci gaudia cantet agri.
Dulce Bateſteinum, viues, dum gloria caſtis
Pieriſin, lepidis dum manet vlla iocis.
Ipſe ego, dum meditor teneris hoc carmen in annis,
Abiectus ripa, lucide Vechta, tua:
Hic vbi auo proauoque meo domus hoſpita quondam
Surgit et a Dulci nomina *) Valle gerit:

 Ipſe

*) Zoetendael.

Ipſe ego inaſſueto pectus contactus ab oeſtro,
Neſcio quem ſenſi, corde ſtupente. deum.
Rus vtinam et noſtrae ſtatio ſit fida ſenectae!
Extremum hic claudant otia docta diem!
O ita, Phoebe, velis! ita, numina vatis, Jacche,
Et Venus, et Veneris nate, nouemque Deae!

LAVR. SANTENIVS.

AD CONVIVAS

NVPTIAS

MOELLERI ET FREYTAGIAE

CELEBRANTES.

Heſperus en fauſtos Cythereius extulit ignes,
Quisquis adeſt, ſanctas fundat ab ore preces;
Quisquis adeſt, laeti ſumens iam pocula Bacchi
Succinat, vt fas eſt, haec bona verba mihi:
Sit bene MOELLERO, grata cui compede vincto
Nunc meliore faces omine quaſſat Hymen;
Sit bene dilectae digno cum coniuge Sponſae,
Molliter et vitae tempus vtrique fluat.

Ex

Digitized by Google

Ex Sponſo fiat pater, ex Sponſa bona mater,
Ludat et ante patrum turba tenella pedes;
His decet auſpiciis laetos celebrare Hymenaeos.
Talibus ominibus foedus inire tori!

Doering.

GEISLERO SVO
IN PATRIAM REDVCI.

Geislere noſtri maxima pectoris
Pars, et *Tuorum* praeſidium ac decus,
Qui notus in fratres paterni
Vsque *Tuos* animi fuiſti;

Quae *Te Tuorum* ſors bona reddidit
Amplexibuſque et dulcibus oſculis,
Coeloque natali, et beatis,
Quae puerum tenuere, terris?

Tanquam recentis veris amoenitas
Poſt longa brumae taedia, taedia
Senſita toti nuper orbi,
Exhilarat recreatque gentes:

Perſundit ingens ſic pia gaudium
Tete reuerſo, corda, benignaque
Lux omnium vultus ſerenat,
Et meliore dies videntur

Splendere nobis lumine. At o! neque
Quod illius pars laetitiae, neque
Teſtes honorum, quos capeſſis,
Vlterius ſuperant parentes.

Saltem dediſſent fata eadem *Tibi*
Vt matris almae lumina cerneres,
Quae *Te* piis votis ſacrisque
Thuribus vſque Deum popoſcit,

Defuncta pridem! Scilicet amplior
Mundi capacis machina nil habet
A parte perfectum quod omni, et
Dicere quod valeas beatum.

Sed cur queramur? deſine triſtium
Pimplei vocum. Nunc potius decet
Et gaudiis, plauſuque laeto
Ominibuſque bonis, receptum

Auctare

Digitized by Google

Auctare amicum, Leucoridos meae
Intret ſecundus moenia vt auſpice
Ductoreque illo, fata noſtra
Qui bonus imperio gubernat.

F. G. Barth.

DIS MANIBVS

IVLIO GVELFO

POPLICOLAE

PRO SALVTE CIVIVM

FLVCTIBVS FORTITER PEREVNTI.

Ignava ſemper carmine Teutonum
Languebit, auro propoſito minor,
Inſeruietque addicta virtus
Diuitis opprobrio tyranni?

Quousque diuum nectare barbiton
Sparſum pudendis laedere naeniis,
Indicta linquentes bonorum
Acta virum inmemori popello?

Non his parentum conditionibus
Aetas peremtos nobilior tulit;
Nec vatibus bellum ſecutis
Poſthabitae iacuere laudes:

Obliuioſis tradere poſteris
Aeui prioris geſta recentia
Promti laborauere Bardi
Carminibus reſonante luco.

Eheu! bonorum germine principum
Priuata tellus, mox grauioribus
Quaſſanda regnorum ruinis,
Exitii peritura primam

Sentire labem funere flebili I-
uli cadentis turpiter incipis:
Virtutibus praeconiorum
Voce carens, pereunte Guelfo!

Iulacrimantes exitiabilem
Clari nepotis eoelituum domo
Videre Torquatuſque magni
Gentis aui proauique mortem:

Lenire

Digitized by Google

Lenire diuis iam bene diſparem
Orſus dolorem conſilio deum
Hortatus heroas verendo eſt,
Eloquio referens Apollo

Salubre et exemplo et ducibus parum
Vulgare letum: "Non leuiter iacet
„Vndis peremtus, nec ſuperba
„Fata manu rapiens duello;

„Auguſtior ſed victima corruit
„Deſideratae plebis, et inſimul
„Et ciuica dignus corona, et
„Caeſariem ſubeunte lauru.

„Maior futurus Caeſare maximo,
„Tumultuoſo creditus Hadriae
„Quum copias noctu vocaret
„Crimina Theſſaliae morantes,

„Maiorque trunca militis attici
„Virtute, caedes poſt Marathonias
„Figentis aeri dente pondus
„Litore barbaricae carinae (*)

„Fertur

*) Maior futurus — carinae.) Illud de Caeſare; praeter alios, tradidit Dio Caſſius to I. p. 292. Reimar. De Cynaegiro adi Iuſtin. II, 9. Strinxit et Herodotus VI, 114. vbi vid. Weſſeling. p. 491.

Digitized by Google

„Fertur, ſeueri propoſiti tenax,
„Haud fletus, haud illum procerum preces,
„Haud poplite haerentes cateruae,
„Haud retinent properantem amici:

„Atqui ſciebat quae ſibi turgidi
„Fluctus pararent: non aliter tamen
„Ibat per vndarum tumultus
„Lintre ſequens fragili ſodales,

„Quam qui ſonoris carmina pulpitis
„Praegeſtientis murmure curiae,
„Vel bella venator recluſis
„Non humilis meditatur apris".

I. A. Martyni-Lagvna.

IN

Digitized by Google

IN MORTEM STOLLII.

Vixit! ſic totam moerens it fama per vrbem;
Excitique ruunt, et qui altis nixa columnis
Atria magna tenent, et qui ſub finibus vrbis
Conduxere caſas; dolor omnibus vnus, et idem
Per plateas reſonat gemitus, nimiumque fatetur
Mors licuiſſe ſibi, nec tanto funere gaudet;
Quamuis nunc illi maior data copia noſtri
Corporis, atque manus ſaeuae tendamus inermes.
Nempe iacet, flenti ſponſum qui reddere ſponſae,
Qui matri ſolitus natum, natiſque parentes!
Qui prius, ac medicas ſollers admouerat artes,
Iam placido atque graues aegri miſerante dolores
Sanabat vultu, qui primo in limine viſus
Addere ſpem poterat, trepidumque leuare timorem;
Qui nunquam clarisne aeger natalibus ortus
Quaerebat, diueſne aut multo inſignis honore;
Eſſe hominem ſat erat: me etiam, me tempore ſaeuo,
Cum fureret ſuccenſa mihi per corpora febris,
Iuſſit habere nouam, ſua tantum munera, vitam.
Tollite iam munus, crudelia, tollite, fata,

Demite

Digitized by Google

Demite ſeruato, demtoſque apponite, quaeſo,
Seruatori annos! quis enim communia ſolus
Damna reſarcire, humanae ſolatia genti
Reddere, totque neget pro vitis pendere vitam?
Quid loquor heu! ſurdum quid votis impleo caelum;
Et modo quae ſcripſi, lacrimis dum carmina noſtris
Interrupta haerent, triſti deformo litura!
Infelix ſuperis vrbs haec ſi cura fuiſſet,
Fletibus aſſiduis et multiſono vlulatu
Non properata ſui duxiſſet funera Stolli;
Non animus, cunctis ſedes gratiſſima Muſis,
Tam cito diffuſus tenues migraſſet in auras;
Non haec continuo noſtris exercita curis
Pectora tam ſubitas praeberent vermibus eſcas,
Nec lingua Hyblaeos vincens dulcedine rores
Et per diſcipulos ſero latura nepoti
Auxilium, Parca ſic feſtinante, ſileret.

Sed tamen, haec equidem ingentis ſolatia luctus
Vnica, non totum tamen abſtulit inuida lethi
Hora virum, ſed parte ſui meliore ſuperſtes
Aeternum colitur, flauos qua *S*equana fluctus,
Qua diues voluit Tameſis, qua Tybridos vnda
Murmu-

Murmurat, et curuus minuit qua littora Suevus.
Quisquis Paeonias illic accedit ad artes,
Hunc vos non ſummis obiter guſtare labellis,
Sed cupidum longo potare videbitis hauſtu
Cuncta, Viennenſis quae liquit ſcripta Machaon,
Scripta, viri doctos nunqam tacitura labores.
Dumque tuis reſonat, Boerhavi, laudibus orbis,
Dumque, Hallere, tuis, veſtra inter nomina viuet.

Alxinger.

AD AMARYLLIDEM.

Has violas, Amarylli, mei cape munus agelli,
  Primitiaſque anni iam bene euntis habe.
Si pallent, mirere minus, mea pallet imago,
  Nam graue ſolliciti vulnus amoris alo.
Quod redolent foliisque virent vernantibus, ipſa
  Purpureis adoles cinnama grata genis.
Sed quod deciduo mox languent flore, monent te
  Quam rapide aetatis ver breue diffugiat.

Farsetti.

IN

Digitized by Google

IN REDITVM VERIS.

Qui Tyrios quondam ſpatioſa per aequora raptus
Vexit, Apollineis cornua iungit equis.
Turbida ceſſit hiems, inimica feracibus aruis,
Regna ſub Antipodum nixa Aquilone graui.
Verque coloratis geniale reuincta corollis
Chloridos e tepido ſuſtulit ora ſinu.
Arboribus reddit leuiore Fauonius aura,
Praeripuere, ſuum, quod fera flabra decus.
Quaeque prius iacuit gelidis adoperta pruinis
Terra, nimis foedo ſquallida facta ſitu,
Nectareos gremio late diffundit odores,
Diuitiisque iterum floret amicta ſuis.
In noua iam niuei mittuntur gramina tauri;
Squamigerum vitreo ludit in amne genus.
Ardenteſque focos iam deſeruere coloni;
Paſtor in herboſis procubuitque toris,
Maenaliaque leues modulatus arundine cantus
Laudibus extollit dona placentis herae:
Carmina mugitu dum rumpunt ſaepe iuuenci,
Et ſaliens pratis candida balat ouis.

Iam

Digitized by Google

Iam liquidum volucres concentibus aëra mulcent,
Laetaque ſilueſtres perſtrepit aura comas.
Cantat in vmbroſis reſidens Philomela rubetis
Ismarium et querula voce repoſcit Ityn.
Funeris, albus olor, veluti iam conſcius, ore
Arguto fundit carmina propter aquas.
Aureolas reſoluta comas, reſoluta papillas
Terna per herboſos Gratia ſaltat agros:
Summaque nobilium populantes germina florum
Mellilegae certant edere murmur apes.
Lucra petiturae ducuntur in aequora puppes,
Iam Zephyro tutas ſufficiente vias,
Praebeat vt fuluas Pactoli litus arenas,
Vt veniat rubro gemma Erythraea ſalo.
O nunc felices, quis blanda per otia vernos
Innocuo detur condere rure dies!
Vrbem alii celebrent, tinctae quos murice veſtes,
Structa vel Oebalio marmore tecta iuuant:
Me nemus et faciles ſaltus, me ruſtica Tempe
Excipiant: cunctas nil moror vrbis opes.
O vbi Caſtaios liceat coluiſſe receſſus,
Et Clario doctam pellere fonte ſitim!
O vbi pacatos Zephyri exaudire ſuſurros
Molliter in viridi ceſpite compoſito!

Inque ſinu placitae nixo cantare puellae
    Carmina, labentes quae remorentur aquas!
Hoc mihi contingat. Populi valeatis et vrbes:
    Commoda me laeti ruris amoena vocant.

V. H. Acker.

WOLFFRAMIO
DISCESSVRO.

Frangántur haec vicinitatis gaudia,
Non vinculum tamen neceſſitudinis
Vllus dies vel vlla vis infringere
Valebit. Huic eſt ſymbolum perennitas.
Non amplius quidem viciſſim porriges
Et adprehendes more patrio manum;
Non amplius tecum per agros floridos,
Nec per ſtoae gyrata vernae vmbracula,
Queis verticem ſuum coronat Iulia,
Nec per vetuſta Teutonum ſubſellia,
Quae iactitat ſuperbiens Cornelii
Caput, vagabor diſſolutus pectora;
Nec amplius guſtare, Baiarum aemulas,

aquas

Digitized by Google

Aquas ſalubres, nec licebit pinea
Velthemii latere ſolitudine:
Hanc inuidendam proh dolor crudeliter
Sors eripit mihi beatitudinem:
Imaginem ſed corpori deus dedit,
O blanda luſio! mihi quae porriget
Et adprehendet more patrio manum,
Et quae per agros ſola mecum floridos,
Quae per ſtoae gyrata vernae vmbracula,
Quae per vetuſta Teutonum ſubſellia
Cornelii mecum vagabitur comes
Quae cinget in Velthemii latus mihi,
Curis ſoluto, ſola ſolitudine,
Nec dormientis deſeret praecordia.
O Somne! ſaepius mihi hanc imaginem,
Hanc corporis feſtiuam imaginem refer!!

Seidensticker.

Helmſtadii, 1788.

Digitized by Google

AD VICTVRIVM.

Non ita ab aetherio Thaumantias emicat axe,
Depulſo quum lux clarior imbre redit.
Nec roſa, ſecretisque rubens hyacinthus in hortis
Vicinum tali complet odore nemus:
Vt conſperſa ſinus pretioſo Lygda capillo
Adſtat, et aurata Lygda decora coma.
Tunc ea mi eſt ſenſus populata atque intima corda,
Ignotamque animo ſeuit amaritiem.
Tunc coepi (fateor) gemitus, lacrimasque ciere,
Et meliore quidem parte mei carui.
Ac niſi languorem hunc aliquis Deus auferat a me
Qui mihi ſubrepens pectoris ima tenet;
Arida letali confectum corpora morbo
Ad ſtyga, Victuri, me vehet hora breuis.

FARSETTI.

AD

Digitized by Google

AD PERILL. V.

F. G. A BERLEPSCH

PORTAM A 1784. INVISENTEN.

Dilecte caelo, maxime Praeſidum,
Berlepſchiorum gloria ſtemmatis,
O artium nec non ſacrarum
Grande decus columenque rerum!

Te noſtra laetans concinit, et Tuae
Percuſſa thyrſo laudis, adoreas
Miratur ingentes Tuarum
Pieris obſtupefacta dotum.

Te vidit olim Mercurialium
Nutrix virorum Porta ſcientiae
Suxiſſe nectar, quod ſuaui
Freitagii fluitabat ore.

Hic Te canorae Pierides ſacro
Fouere in antro, dum generoſior
Flacci ruentis more nimbi
Pectora fluminibus rigaſti.

 Subli-

Sublimioris mox ſapientiae
Scrutatus arces, quos Latium tenet
Hellaſque theſauros, recludens
His opibus rediiſti onuſtus.

Te ſemper anteit publica Comitas,
Mentis benignae teſtis amabilis,
Et dicta ſubſequens Decorum
Omnia compoſuiſſe gaudet.

Auguſtus hinc Te (quo melior nequit,
Fulgere virtuti arbiter) et Tuas
Dotes amauit, Teque ſummis
Muneribus nituiſſe iuſſit.

Nunc iure Muſae Saxonicae ſibi
Antiſtitem Te viuere geſtiunt,
Quod tempora antiquum vident, Te
Muſageta, reditura in aurum.

Nam prouidenti pectore coetui
Tu puriori proſpicis impiger
Ne quid ferat damni paternas
Relligionis honos per vrbes.

Humani-

Digitized by Google

Humanitatis Tu ſtudiis catus
Acerque cuſtos conſulis, et viros
Doctrina quos ornat repoſtis
Protrahis vsque bonus latebris.

Haec inter et Tu, non minimum fouens,
Quos alma fauſtis ſub penetralibus
Porta educans nutrit cateruas
Pierium iuuenum, tueris.

Quod ſi clientem me facilis Tuum
Benigniori lumine reſpicis,
Tunc me beatum, tunc putabo
Vertice me tetigiſſe caelum.

F. G. Barth.

Digitized by Google

CONTRA EPIGRAMMA NOTISSIMVM,

ITA FINIENS:

„SEMPER ET A SEXTIS PERDITA ROMA FVIT“.

A Sextis ſemper ne perdita, Roma, puteris,
Ecce Pius Sextus nunc tua ſceptra gerit.

Polydorvs Nemaevs.

IN MORTEM MYRTI.

Arboribus ſi ſenſus ineſt, vt credere fas eſt,
Contractis doleat frondibus omne nemus.
Turbine vel ſtridens ferale remugiat aether,
Pro Zephyro ramos concutiente Noto.
Tu vero ante alias, buſtis adſueta cypreſſe,
Triſtitiae cauſam iam propioris habes.
Occidit illa ſuis nuper non vltima lucis
Gloria et Idaliae myrtus amica Deae.

Quam,

Digitized by Google

Quam, communis amor, iuuenem iuuenilibus annis
Plantauit propria pulchra Neaera manu.
Sic, viduata comis, toto ſic arida trunco,
Letho, myrte, piae gaudia frangis herae!
Nec fatum potuit depellere cura puellae,
Quae ſociis te vnam praetulit arboribus.
Immodico quae te ſuerat defendere et aeſtu,
Immodicis quae te ſedula frigoribus;
Limpidulo quae te ſitientem humore rigare,
Luxuriam et curua ſalce putare tuam.
Debuerat conmota Venus cultricis amore
Te ſeruaſſe ſui numinis auſpicio.
Quid tibi nunc prodeſt Diuae Pueroque proteruo
Fronde coronatum condecoraſſe caput?
Num minus immitis ſternenda furore bipennis
Praeda futura focis nempe iacebis humi?
Non iterum noſtro latebras praebebis amori,
Non refrigerium flamine dulce faci.
Cortice non iterum ſimul explorabimus, ignis
Ad paris an creſcant nomina iuncta modum.
Det Venus alma tuus modo non ſit flebile caſus
Augurium, vanos efficiatque metus.
Vt, miſeranda, tuis maneam diuturnior annis
Virginei ardores pectoris, illa mei.
Exemploque tuo quam ſit male certa iuuentus
Diſcat et aetatis carpere dona breuis.

Digitized by Google

Sed quid ego haec? fati tranſcendent foedera limen,
Foedera ſupremo non ſoluenda die.
Nam cum defunctos fugitiuae munera vitae
Ducet ad Elyſias nos Cytherea plagas,
Hic vbi cum lauro, ſudante et balſama quercu,
Deliciis ſurges conſpicienda nouis,
Nos rurſum ſolita recubare iuuabit in aura,
Vmbraque ludentes conteget vna duos.

I. H. Hoevfft.

DE MVSAE SANTENIANAE PRAESTANTIA.

Non mihi ſunt tanti regum monumenta columnae;
Quanti cura mei carmina Santenii:
Illa etenim annorum morſu franguntur edaci;
Funeris exemta haec conditione vigent.

V. H. Acker.

AD

Digitized by Google

AD AMOREM.

Scilicet vt tarda confectus corpora tabe
Cocyti nigras cogar adire lacus;
Crudelis parere tibi dant aſtra, Cupido,
Meque tuo impellunt voluier arbitrio?
Qualis Carpathio quum praelia miſcuit Auſter,
Spumoſoque ictu littora curua ſonant;
Expauet et dubia pelago trabe nauita fertur,
Talis ego incertus per tua regna vagor.
Et paſſim ſequitur mordax me cura dolorque,
Poenarumque animum conficit omne genus.
Atqui non renuo tua, ſaeue, capeſſere iura,
Inque tuas patior cominus ire faces.
Namque vbi Medoaci in ripa fulgentis Hyellae
Conſpexi dignam frontem oculoſque Ioue,
Flamma vorax miſeri decerpſit pectoris ima,
Quae iam me cunctis ſenſibus eripuit.
Tunc ſubito errraui per opaca ſilentia portans
Mecum ſigna meae conſcia triſtitiae.
Nec fecunda Ceres aluit, nec munera Bacchi,
Nec clauſit blandus lumina feſſa ſopor.

Dicite

Digitized by Google

Dicite vos orni, durae vos dicite quercus
Antraque ſuppoſitis abdita pumicibus,
Quos gemitus, vacuas quae non lamenta per auras
Effudi, nimio afflaret vbi igne Deus!
Aut quibus, ingenti quaerens ſolamen amori,
Inſculpſi Dominae nomen in arboribus.
Interea ipſe famem optabam ſaturare leonum,
Et dare membra auidis dilaceranda feris.
Sed mihi cum melior mens affuit, atque parentes
Et patriae memini tecta relicta domus:
Iam reditum meditari, et Hyellam viſere coepi,
Frigidus an tandem deſinat eſſe lapis.
Cumque ea reſpueret, velut ante, precantia verba,
Et durus premeret pectora dura ſilex:
Ingemui, trepidansque animus ſpe concidit omni,
Et rurſus periit vita ſalusque mihi.
Quare age, nate Dea, faculas per et, oro, ſagittas,
Et mala quae te ſic multa iubente tuli,
Deme mihi hos luctus, veterum miſerere dolorum,
Atque pias hilari ſuſcipe mente preces.
Suſcipe, ſi celeri transfixus arundine Hyellam
Dilexi, miles ſi tua caſtra ſequor.

FARSETTI.

DOCTAE

Digitized by Google

DOCTAE IGNORANTIAE
COMMENDATIO.

Eſt aliquid ſane, multarum diuite cultam
Notitia rerum, veluti dape, paſcere mentem,
Naturae aſſidue rimari arcana parentis,
Scire, quid occultis rerum haec foecunda genitrix
Conetur, peragatque viis, quam ſe ipſaque prodat,
Et veras cuiusque rei cognoſcere cauſſas;
Quid quemuis noſtrum iubeat vel omittere prorſus,
Vel facere humanae rationis amabile lumen;
Quaenam principibus, quos ſummos orbis adorat,
Scribendae leges, tenui quae iura popello;
In quo ſit virtus; vitii quam turpis imago,
Et, quae forſan habet, de quo certamina ſollers
Integris moueat doctorum cura libellis.

Eſt aliquid ſane, per tot iam ſaecula, noſſe,
Temporis exacti, queis ſit gens quaelibet vſa
Moribus et linguis, quo ritu vixerit, vnde
Orta, quibus gentes vicinas vicerit armis;
Quam variis ſtudiis euecta potenter in altum,
Poſtquam promeritae faſtigia debita laudis

Attigit,

Digitized by Google

Attigit, immani vitiorum turbine praeceps
Ingenti fuerit rurſus collapſa ruina.

Denique non nihil eſt, generoſae mentis honeſto
Quaerere diuini naturam numinis auſu;
Quis Deus, et qualis, quid agendo ſpectet in orbe,
Queis homines ſuperemineat virtutibus omnes,
Quid velit a nobis fieri, quid et optet omitti;
Quam ſimul arcanis idem et ſapientibus omnem
Conſiliis mundum ac miti ratione gubernet;
Qualia virtutem ſtudio ſectantibus acri
Praemia pollicitus, quales at vindice poenas
Terrigenum fuerit ſceleratis ore minatus?

Haec igitur qui ſcit, certe, qui ſcire peroptat,
Vtque ſciat, nulli impenſae nullique labori
Immotus parcit, verum noctesque diesque
Cogitat hoc vnum, meditans, librosque recentum
Priſcorumque pari cura atque labore volutans,
Quis non illius ſtudium praeſtabile credat,
Pulchraque magnificis conamina laudibus ornet?
Quis non, quod tanta cura quaerebat, adeptnm
Felicem inprimis generoſo hoc praedicet auſu?

Haec incredibilis noſcendi multa voluptas
Antiquorum hominum non paucos impulit olim,

Non

Digitized by Google

Non humili tantum prognatos ſanguine, verum
Et genere illuſtres, quin regum ſtirpe creatos,
Poſthabitis vt, quae certo ſperare licebat,
Diuitiis, cultu, luxu, diademate, regno,
Sponte ſua veri ferrentur amore videndi,
Ac vel ſacratos vellent quaeſiſſe receſſus,
Vel quoque, fortunis cunctis, patriaque relictis,
Perque niues, ſolesque, imbres, ac frigora brumae
Longinquas peterent incertis greſſibus oras,
Diſcendi cauſſa. ſapientumque ora videndi
Blanda virum, quorum doctis ſermonibus vſque
Proficere, alloquio et ſeſe oblectare liceret.

Hoc Samium feciſſe ſenem, feciſſe Lycurgum,
Denique ter magnum, conſtat, feciſſe Platonem.
Pythagoram certe, narrant, dixiſſe Leonti
Phliaſio, *cuius foret artis?* ſcire volenti:
„Sunt, quos in ſacris, quos ſpectat Olympia, ludis
„Curriculo nubes aeſtiui pulueris atras
„Collegiſſe iuuet, curſu certare vel armis,
„Aethereaeque ſibi conquirere laudis honorem.
„Sunt, qui, quum vendant et emant, vehemente lucelli
„Ducantur vilis ſtudio, et noua commoda captent.
„Denique ſunt alii (quaedam eſt haec tertia claſſis,
„Sed numeroſa parum) qui non niſi, quidquid agatur,

„Specta-

„Spectatum veniant, attento lumine mores
„Ludentum obſeruent, atque in ſua commoda vertant.
„Sic etiam in vita eſt: pars lucrum ignobile quaerunt,
„Pars laudem et famam captant, pars tertia neutro
„Ducitur; huic tantum ſpectare ac diſcere cordi eſt.
„His ego me adiunxi. fateor, verique videndi
„Non nego compulſum ferri vehementer amore.
„Scilicet egregium, nullo et culpabile pacto,
„Quin immortali dignum mihi laude videtur,
„Si mens, (cui dubio procul eſt caeleſtis origo)
„Summa petat, caelosque ipſos adſcendere tentet,
„Cunctarum, vt, rerum qualis quantusque ſit ordo,
„Sentiat, et, quarum mira eſt ſapientia, leges.
„Hoc opus, hic labor eſt, quidquid miſerabile vulgus
„Ganniat, et lingua nos inſectetur inani." —
Sic quoque nunc, hominem vere quicunque creatum,
Non hominis vanam modo, ſeſe intelligit vmbram,
Ardet amore pari pulcherrima quaeque ſciendi,
Cognitioque haec ipſa ſibi eſt pulcherrima merces.

Sed tamen haud alieno vt dulce eſt (iudice Flacco),
Deſipuiſſe loco: ſic nec fas, omnia velle

Scire

Scire, eſt, ac ſapiens habet ignorantia laudem.
Scilicet humanae certi ſunt (credite) fines
Naturae ac mentis, queis ſe videt vndique cinctam,
Nec capit immenſos caeli variabilis orbes,
Aut etiam immanes vaſtae telluris abyſſos,
Quin ruat in praeceps, horrendo pondere victa,
Aut nimia tandem rerum grauitate fatiſcat.

Nec vero, quidquid ſcire aut didiciſſe licebit,
Continuo dignum eſt ſcitu, magnoque labore
Diſcendi, tempuſque malo conſumitur auſu.
Nam, niſi profuerit, quod diſcis, gloria ſtulta eſt.

O! quanta, atque aliis quam pernicioſa ſibique
Summos ſaepe viros praecepti obliuio cepit
Huius, et o! vana quam ſedulitate ſtupendoque
Egerunt quam difficiles conamine nugas!
De caligis aliis veterum et femoralibus amplis,
De peplis alius Carmentae et veſtibus Accae,
Quot nodis, alius, non tonſi barba Catonis
Conſtiterit, vel nocturnus quot fila cucullus
Iunxerit Atridae, de queis non denique nugis?
Ingenti ſtudio quam ſpiſſa volumina ſaepe
Scripſerunt, ſero plane abiicienda nepoti!
Sic, media quantas aetate Scholaſtica turba
Protulit ingenii ſubtilis acumine nugas,

Digitized by Google

Contemplans vmbras aſini, lanamque caprinam!
„Sit quidnam Eſſe rei? Nuda exiſtentia quidnam?
„Quidnam ſit, quaeuis quo Res ab Nomine diſtet?
„Quot ſanctos in acu Genios ſaltare putemus?"
Has res, ac ſimiles ſumma grauitate docebant,
(Immenſo ſtudio inquirentes atque labore,
Proque illis magno miſcentes impete rixas)
Lombardus, *Scotus*, ac *Thomas*, heu! nomina quanta!
Ingenii et curae tantae meliore profecto
Materia digni, melioribus atque magiſtris!
Cui tandem haec proſunt? Quis, quaeſo, iuſtior vnquam,
Integrior, lectis, meliorue reuertit ab iſtis?

Sed quamuis prodeſſe putes, quae noſſe peroptas,
Saepe tamen perdes operam, et falleris inani
Impenſa ſtudii, nullo penetrabile pacto
Quum ſit, quod quaeris, vis atque humana recuſet.
Num reperire audes, humanum quomodo corpus
Afficiat mentem, corpuſque a mente regatur,
Quaerere *Leibnitiis* quod *Carteſiis*que negatum eſt?
Porro aliis, de queis certarunt integra ſaecla,
Totque viri docti vano molimine dudum
Sudarunt, tandem veteri caligine pulſa,

Tu

Digitized by Google

Tu noua poſſe inferre putas te lumina rebus,
Atque, vt dictator, verbo componere lites?

Quid porro in ſacris, vbi mens non credula plane
Coecutit? Nil te hic plane, nil poſſe videre,
Nonne fatere? Modum quaerendo ponere non vis?
„Quomodo tres vnum? Diuina eſſentia, quaeſo?
„Qui totidem vna capit? Natura aeternus ab ipſa
„Filius aeterni poterit qui numinis eſſe?
„Qui Deus humanos, mutari neſcius, artus
„Induat, atque duo iam non queat eſſe, ſed vnus?
„Curque Deus populum ſelegit ab omnibus vnum,
„In quem quodque genus transfunderet ipſe fauoris,
„Neglectis reliquis? Quid caetera turba patrarat? —
Haec quam tute diu meditando quaerere pergis,
Sollicitus nimium, nec finis ipſe laborem?
Tam quoque, care, diu te operam luſiſſe quereris.
Sufficiant, quae diuini ſacra pagina libri,
Lecta tibi attente, deciesque relecta, docebit:
„*Hoc vult, hoc facit, hoc faciet moderator Olympi!*"
Omnibus hoc ſatis eſt, vltra et tu quaerere noli.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos intra quicunque ſciet compeſcere mentem,
Huic, huic conciliat magnum ſapientia nomen.
Quantum eſt, quod ſcimus! ſic felix *Scaliger* inquit.

Digitized by Google

Quantum heu! neſcimus! contra pius *Heinſius* infit.
Recte ambo forſan; tu multo at rectius, Heinſi!

At Vobis, Iuuenes, quos iam noua laurea cingit,
Ac dudum meritos hodie qui fertis honores,
Admoueat ſtimulos licet optima quaeque ſciendi
Eximium ſtudium et minime culpabilis ardor,
Fraena tamen fortes animis adhibete domandis,
Quaeque vetant arcti mentis comprendere fines,
Aut, quae non alios, nec Vos perſpecta iuuabunt,
Rimari fugite, haec laus eſt neſcire fateri.
Quodque olim monuit Phaëthontem Phoebus amatum:
Inter vtrumque tene; medio tutiſſimus ibis!
Hoc Vobis pariter faciendum, quaeſo, putetis.
Nec Vos naſutae moueant conuicia linguae,
Seruum imitatores crebro *pecus* ingeminantis,
Figite ſed coepto firmos in tramite greſſus,
Stultitia haec ſapiens! Haec ignorantia docta eſt!

Reiz.

HEYNIVS

HEYNIVS
APOLLODORI BIBLIOTHECAM EDENS.

Ille tuos inter Doctos, Germania, princeps
Heynius, antiquo primus in eloquio;
Cuius ineſt animo ſecli praeſtantia priſci,
Dorica ſeu Pitho, ſiue Latina Charis;
Auctibus addictusque tui, Gottinga, Lycei
Et noctem et totos inuigilare dies;
Herculeos Famae non dedicat ille labores,
Conſulat vt pubi, ſed ſtudet vſque, tuae.
Hoc reſerata patent culti duce ſcripta Tibulli,
Nouimus et quid ſit nobilis ardor, amor.
Hoc duce magnanimos generoſo pectore ſenſus
Induit, Andina mota iuuenta tuba.
Nunc quoque fabellis ſapientia condita Graiis
Expedit abſtruſas hoc duce comis opes.
Omnia conſequitur; re fallitur Heynius vna
Non modo tirones, erudit illi ſenes.

LAVR. SANTENIVS.

TVRTVR ET VIATOR.

E GALLICO VERSVM.

V. Quid gemis hic? Turtur! *T.* Rapti gemo fata mariti.
V. Quis rapuit? *T.* fallax aucupis ingenium!
V. Non metuis ne te ſimili necet improbus arte?
T. Ni necet illius fraus, necat ipſe dolor.

DENIS.

INITIVM LIBRI IV. MESSIADOS.

At Caiphas Satanae poſt dira inſomnia lecto
Haeret adhuc, verum alma quies procul inde receſſit.
Ille modo dormit, vigilat modo, multa volutans
Secum, perque torum nunc huc nunc voluitur illuc.

Atheus

Digitized by Google

Atheus in medio pugnae ſic voluitur; illum
Inſtantes vrgent hoſtes, crepitantiaque arma,
Et ſonipes ſuper inſurgens, ſtrepitusque, furorque
Caedentum, et late flagrantis fulmina caeli.
Ille caput fiſſus iacet amens, mixtus aceruo
Caeſorum; iamque ipſe ſuam cum ſanguine vitam
Effluxiſſe putans; ſed humo mox membra leuatus
Sentit adhuc, et ſpirat adhuc, fremit, haurit et hauſtum
Ad caelum dextra iactat moriente cruorem,
Inceſſitque Deum dictis, cuperetque negare.
Haud aliter Caiphae turbantur pectora; lecto
Proſilit; extemplo, quibus eſt commiſſa ſacrorum
Cura, iubet, ſimul atque patres accirier omnes.
Aula fuit ſpoliis Libani conſtructa ſuperbis
Templorum in medio, claris conuentibus apta,
Et Salomoniacis alte ſubnixa columnis.
Huc lecti de plebe patres, templique miniſtri,
Concilium vt ſummi regni de rebus haberent,
Conueniunt; patribus graditur permixtus Ioſeph
Hic Arimatheae praediues natus, et inter
Degeneres Abrahae clarus pietate nepotes,
Et rerum prudens, et ſeruantiſſimus aequi.
Luna velut placide niuea inter nubila fulgens
Apparet caelo, ſic coetu apparet Ioſeph
In medio, laterique comes Nicodemus adhaeret,

 Il-

Illius et ſancto Meſſiae vinctus amore.
Imperioſa mouens nunc circum lumina ſurgit
Antiſtes, atque haec ardenti pectore fatur:

Alxinger.

NVNC SCIO
QVID SIT AMOR.

VIRGIL. ECL. VIII.

Dum repetis noctu ter notum limen Amicae,
Prolapſum temere foeda cloaca tulit.
Nunc ſcio, quid ſit Amor, cecinit Damonis auena;
Tu quoque iam repetis: Nunc ſcio quid ſit Amor.

Denis.

IN

Digitized by Google

IN MORTEM
IOACH. IBARRAE
CELEB. TYPOGRAPHI HISPANI.

Quod nuper fuerat tibi Baſkervillius, Angle!
Quodque, Hiſpane, tibi nuper Ibarra fuit,
Bodonus quod nunc Italo eſt, Galloque Didotus,
Quis, Germane, tibi quis? vel an vllus erit?

Idem.

DE ALOYSIO GONZAGA *).

Non metuens vmbram, ſed dedignatus abiuit,
Oſcula non vmbrae cenſens, ſed danda puellae.

*) In Antonii baronis S. I. Triumuiratu Sancti-moniae S. I. L. III. ep. 48. legitur epigramma in laudem eius, quod *vel puellarem vmbram puer, ex ludo reus, nullo modo, vt oſcularetur, adduci potuerit, ludoque omiſſo, amiſſoque pignore abiuerit.*

Kaestner.

IN OBITVM
G R A B E N E R I.

Vt cum ſecundis lapſa Serenitas
Euri flabellis, aetheris aurei
Formoſa proles, per ſonantes
Tethyos inuehitur cachinnos;

Nat tuta pinus limpida Nerei
Per regna, nullis quaſſa furoribus
Apeliotae, nat quieto
Oceani per aperta curſu:

At quum furenti remigio ferox
Procella Cauri naufraga nubium
Proturbat horrorem, atque aquoſo
Sidereas acies amictu

Obnubit; alnus torta furentibus
Salis tyrannis ingemit, et ſimul
Remique et antennae volutae
Triſte natant auidas per vndas,

Aleſque

Digitized by Google

Aleſque turbo decutit impigrum
Puppi magiſtrum; qualis habet ſtupor
Artus pauentum, cum tenentem
Frena ratis furor haurit vndae:

Talis iuuentae pectora pallidus
Perſtringit horror, moeſtus hebet graui
Torpore ſanguis, explicatae
Frontis honos fugit exſul ore.

Grabnere, quum te Mors raperet nigris
Incincta pennis, membraque ferreus
Rigor ligaret, noxque velo
Cimmerio tumularet ora.

Qui literato fonte opulentiae
Siticuloſis auribus heu! prius
Gratum influebas, quem loquentem
Attonito ſtupuere vultu.

Aſt en! coruſca nube cohortibus
Septus beatis promicat, et poli
Miratur ardentes phalangas
Sidereae nouus hoſpes aulae.

Videtis?

Digitized by Google

Videtis? o quid pectora planctibus
Foedatis imis? cur tepidus genas
Perrepit amnis? viuit ecce
Viuit io Grabenerus aſtris.

MDCCLXXVIII.

AD MANES
VALCKENAERII.

Res hominum ſi quis poſt funera, credere fas eſt,
Curat; ab aetherea, Caſpare, cerne domo,
Vt ſtudium Graiae, fuerit cuicunque, Camenae
Hic deſiderio ſordeat omne tui;
Vt deſperemus duce te ſine et auſpice tanto
Ad Famae dubio templa venire gradu;
Quin neget ad ſolitos vt quisque redire labores,
Nunc etiam monitis ni putet ire tuis.

L. Santénivs.

HOMO,

Digitized by Google

HOMO, NAVIS.

Nauigium corpus, Mens candida rectaque Nauta eſt.
Nauta vbi deſuerit, vae tibi, Nauigium.

Denis.

AD BRANDANVM GEBHARDI MINISTERII ECCLESIASTICI FESTVM SECVLARE CELEBRANTEM.

Egone honeſtae, ſolus ego, Tuae
Inter ſenectae debita praemia,
Plauſus Tuorum inter preceſque,
(Si cithara haec aliquid trementi

Impulſa plectro, ſi pietas poteſt
Indocta callens pectora uiuido
Aeſtu ciere, infantia ora
Soluere carminibus loquendis)

Ergone

Digitized by Google

Ergone ſolus ſic mea gaudia
Foedis tacebo preſſa ſilentiis,
Interque gratantum nepotum
Non ego conſpiciar coronam?

Quin mens viarum deſpiciens moram
Leuemque ferri docta per aerem,
Moles licet mortalis illam
Deſtituat, rapido volatu

In ſeculari feſto aderit Tuo,
Tecum benignum laudibus efferet
Mortalium numen parentis,
Qui Tibi, ceu pugili decora

Defuncto arena, ſic merita Tibi
Iamiam corona canitiem premit,
Partamque conſtanti labore
Annuit omnipotens quietem.

G. L Spalding.

ICON.

Digitized by Google

I C O N.

Ore Venus, Iuno inceſſu, ingenioque Minerua,
Arbiter Idaeus cui tria poma daret.

KAESTNER.

FRIDRICO AVGVSTO

BRVNSV. AC LVNEB. DVCI

IN EIVS
DIE NATALI.

Ecquid, Muſa, diu ſepoſitam chelyn
Rurſus ſollicitas? Quem meditans virum
Aut heroa lyra non imitabilem
Sumis dicere? quem Ducem?

Cuius militiae fronde decus nitet,
Quem Virtus Pietasque inſerit optimo
Heroum generi; qualiter inclutos
Inter *Guelfiadum* Duces

Almo

Digitized by Google

Almo *ſemidei* ſidere promicant
Fratres; queis viguit nil generoſius —
At, Fridrice, *Tuae* non ego nomina
Laudis carmine perſonem;

Haec plectro meliore, et fide Lesbia
Seris commemoret Muſa nepotibus.
Nunc laetis iuuat altaribus addere
Thura, et vota capeſſere.

En! *Natalis* adeſt! Reddite barbiton,
Muſae, grandiſonum, reddite barbiton,
Et blandis celebrate hunc fidibus diem,
Feſta ne careat nota.

Neu deſint Charites Naiadum choro
Iunctae, quae violis littus et *Ockerae*
Praetexant, et obumbrent riguos *Spreae*
Fontes vndique liliis.

Fallorne? Ex adytis rite Heliconiis
Argutum repetit Calliope melos,
Fridricvm recinens *ſemper amabilem*,
Et late reſonant iuga.

Geſtit

Digitized by Google

Geſtit *Guelfica* gens; terque pio canit
Plauſu miles: *Io! Dux Bone!* Ciuitas
Ter plauſum ingeminat, thuraque gratulans
Fumoſis adolet focis.

Sic ſemper vigeas, *Guelfiadum decus*,
Sic longam numeres, *Optime Principum*,
Annorum [illegible]iem! Sic melior diu
Natalis redeat *dies!*

M. H. Thieme.

AD DOERINGIVM

Ergo, dulcis Amice, TE
Iam rurſus teneo? iamque iterum mihi,
Quod vix credere fas erat,
Poſt paruum ſpatium dulcibus oſculis
Impertire licet TVOS
Vultus, atque oculos, caraque pectora
Blandis ſtringere brachiis.
Heu quam dura meos ſors agitans dies

Digitized by Google

Preſſit, non TVA lumina
Ex quo cernere erat, nec requieſcere
Nobis amplius eſt datum
In fructu ſtabili dulcis amoris, et
Doctis colloquiis, frequens
Quae mecum memini te ſerere, et dies
Longos condere ſuauiter,
At iamiam melius conſuluit Deus
Noſtris rebus, et vsque TE
Nobis reddidit et nos TIBI, perpetim
Vt TETE liceat frui.
O caſtis animis dulcia pabula
Conſuetudinis aureae!
O torporem animi ſermo acuens catus,
Quem iucundus amiculus
De rebus variis inſtituit; modo
Aegri pectoris alleuans
Blandis alloquiis triſtitiam, modo
Irridens quoque, noſtra quos
Oſtendunt ſtolidos ſecula plurimos!
At TV quando ſcholae nouus
Numburgenſis ades doctor, vt inſeras
Virtute atque ſcientiae
Aures egregiis ſeminibus chori
Purgati iuuenum, hoc age!
Vt ciuis patriae prodeat vtilis

Abs

Digitized by Google

Abs TE, qui ſimul afferat
Laeta augmenta alacer finibus artium.
Sic hic alter erit locus,
Ex quo rurſus eas altius, vt nouum
Et maius capias decus.
Hanc lucem roſeus lucifer aduehat!

F. G. Barth.

AD NOBILISS. VIRVM
IOS. SPERGESIVM,
PALENTIAE BARONEM.
EPISTOLA.

Verane, Spergeſi, Tyrrhenas fama per vrbes
Nuper iit, reſonis delapſa per aëra pennis
Danubio a gelido, concordi foedere pacem
Auſtriadis placuiſſe tuis, fortique Boruſſo,
Sanguineum fruſtra Bellona agitante flagellum,
Quo concuſſa omnis timuit Germania cladem
Luctificam; tanto reges in bella ruebant
Hinc atque hinc acti motu, ſecumque trahebant
Diuiſam Europam! Rediit iam magnus ad Arnum

Digitized by Google

Coniuge cum dia Leopoldus, Floraque tanto
Vix capit aſpectu ſeſe, gaudetque beato
Munere caelicolum: ſpondent fauſta omnia diui,
Et moeſtas trepida ſoluunt formidine mentes.
Auguror, et ſpero: quotquot diſcordia lites
Excierat, cauſas irarum in pectore ſemper
Illa ferens, caeciſque inuoluens cuncta tenebris,
Omnes Caeſareae gentis mens prouida ſoluit,
Oſtenditque, ſibi pacem ſuper omnia curae
Eſſe, nec ingentes vnquam curare triumphos,
Si diro ſine Marte ſuas vtcunque tueri
Poſſit opes. Satius quippe eſt concedere partem
Rerum aliquam, multo quam ditem ſanguine praedam
Quaerere tot luctus inter, gemitusque ſuorum,
Iracunda quibus ſemper Victoria gaudet.
Mille vias Auguſta Parens cum Caeſare, et artes
Tentauit nequidquam omnes prius, arma iuuentus
Quam caperet, rueretque aduerſa in vulnera telis;
Nec requieuit, atrox donec vox impulit aures,
Imperii fines transmiſſos, iamque furenti
Agmine ſubiectos hoſtem deſcendere in agros,
Molirique neces, et fata extrema parare,
Vindelicos ni ſponte ſuos, et Norica linquat
Oppida, quae iuſto ſibi iure adiunxerat haeres
Legitima antiquae deducta ab origine gentis.

Ergo

Digitized by Google

Ergo Iuſtitiam teſtata, aeternaque caeli
Numina, nil aliud quando iam reſtat agendum,
Belli ferratos rumpens Thereſia poſtes
Arma iubet vaſtis opponere Martia regnis,
Hoſtileſque arcere manus. Fremit vndique pubes,
Inque acies diſtincta ruit, quo ſigna iubentum
Verſa ducum rapiunt: alto ſtant puluere campi,
Armorumque fragor, ſtrepitusque auditur equorum.
Iam prior, haud vllo fractus longaeua labore
Pectora. deſcendit rapidum Fridericus ad Albim,
Inque alium fluuii properat transducere ripam
Agmina, quo fratri ſeſe coniungere poſſit.
Inque Boëmorum campos effundere amicos
Saxonas. En pontes molitur, et vndique cogit
Materiem cymbis aptam, caſtellaque tollit.
Queis ſuperet protectus aquas. Sed maximus ardet
Parte alia Caeſar, florens iuuenilibus annis,
Aurea ſideribus quem virtus aequat, et almae
Auſpiciis laetum matris contemnere fata
Edocet. Ipſe hoſtem. quacunque irrumpere ſaeuus
Apparat, aduerſo ſtipatus milite terret,
Nec patitur proferre gradum: ſic fulminat armis,
Sic fluuio oppoſitus late dominatur aperto.
Illum acuit, ſtimulatque immenſum parta per orbem
Gloria, et audacem per magna pericula raptat,
Fortuna comitante diu. Contra excitat ardor

 Hunc

Digitized by Google

Hunc nouus impauidum, iuuenifque in corpore
flammas
Aemula ſuccendit virtus, laudumque cupido.
Heu tanti quae damna Duces, quae funera campis
Saeua dabunt, inter ſeſe diſcordibus acti
Si furiis tandem veniant in praelia? Quales
Heu miſeranda neces, quales Germania luctus
Aſpicies! verſasque tuis cum ciuibus vrbes
Omniaque horribili motu conuulſa dolebis
Iuſtitiamque, piumque, et, diuum munera, leges.
Diis viſum melius, qui tanto ardere tumultu
Haud miſeras paſſi terras, Gallumque potentem,
Moſchorumque ſimul Reginam ad tale periclum
Excierunt. Via prima patet, iunctisque viciſſim
Conſiliis medios pacis, bellique ſequeſtros
Haud dubitant ambo ſeſe interponere, et omnes
Scilicet irarum tumidos compeſcere fluctus,
Dum fortuna anceps, dumque altis pendet in auris
In neutram pennis vergens Victoria partem.
Pergite concordes animae componere foedus
Belligeros reges inter; pro talibus orſis
Magna parant vobis homines, maioraque diui
Praemia; non vllo tantum decus excidet aeuo.
Atque adeo ſpes certa animum ni ludat inanem,
Iam video reduces aquilas per inania curſum
Tendere Vindobonam ſupra. Non ore minaces
Excidium

Excidium ſtragemque inhiant; ſed mitis oliuae
Ramus in vngue viret trifido pro fulmine, proque
Enſe Atlantiadae placidi micat aurea virga.
Pax certe, pax alma aderit: bona ſigna volucres
Ecce ferunt, iunctaeque adeunt regalia tecta
Spectantum plauſus inter. Noua gaudia pectus
Sollicitant, curasque adimunt; ſimul omnis et horror,
Et furiis nuper ſaeuae gliſcentibus irae
Oceanum pulſae repetunt, ſeſeque recondunt
Occidui longe trans vltima litora ſolis.
Omine quo laetus, Spergeſi, debita mecum
Caelicolis iam dona para, qui numine ſancto
Auſtriados magnae vota audiuere, nec ipſam
Terrifici ſecum miſerantem incommoda belli
Amplius indigna paſſi tabeſcere cura.
Sic eat; aeterna vigeant felicia pace
Tempora per populos omnes, quos prouida tantae
Semper alit, natos vt dulces, cura parentis;
Queis trepidis trepida eſt, queis ſaluis ſalua, nec vllam
Laetitiae nouit, regno niſi ſoſpite, partem.
Felix, cui tales materno in pectore motus
Dii dederunt; felix et Caeſar, cui bona Pallas
Pro ſimili ingenio, pro laude, et moribus isdem
Nunc placida crines praecingere gaudet oliua.
Atque vtinam lux illa cito caput euehat altis

Digitized by Google

Aequoribus, ſubita quae Thuſcas impleat vrbes
Laetitia, ceſſiſſe minas, nec iam vlla timeri
Praelia ſaeua monens; ſubuectus in ardua Pindi
Culmina, Pieridum ſedes, et Apollinis almi
Antra petam, ſacras vbi propter fluminis vndas
Stratus humo in viridi, vario quam germine florum
Aura renaſcentis iam veſtiet annua veris.
Auſtriacas dicam laudes, et munera diae
Pacis inexſtincto tollam ſuper aethera cantu.
Tu quoque eris noſtri pars carminis, et tuus vna,
Quo ſine nil actum tali in diſcrimine, fidus
Conſilio ille habitus ſemper Chaunitius Heros,
Mercurio, Martique ſimul, caruſque Mineruae.

C. Michaeler.

PVEL-

PVELLAE CERTAMEN
PRO PVDICITIA TVENDA

Ruſtica forte ſuum ſcandit foenile puella,
    Quam ſequitur captans dulcia furta puer.
Me petis? arrepto mox foeni ait illa maniplo
    Armatam inuenies: vae tibi! ſi ferio.

Ios. A. Sperges.

FERIAE.

Iamiam flagrantis ſaeua Caniculae
Deceſſit hora, et mitior aureum
    Aduertit aſtrum Phoebus, aruis
        Pomiferum caput alme tollis

Autumne! vos, o Pierides, quibus
Cura eſt Poetae, reddite ferias,
    Finemque tantiſper laborum!
        Grande dein repetemus aequor.

Denis.

Digitized by Google

VOTVM AD PACEM.

Nunc equidem condit fumantia ſanguine tela
Terrificus Mauors, feſſaeque hiberna cohortes
Reſpiciunt. Supero nondum tamen axe relicto
Tu miſeras terras, Pax exoptata! reuiſis.
Quando erit, vt miti redimitam tempora ſerto
Te laeti videant populi, et Diſcordia demens
Exulet ad triſtes Orci damnata tenebras!

Idem.

AD POETASTRVM.

Quaeris, Vare! tuis e metris optima quae ſint,
Cum recitas rauco carmina mille ſono?
Optima de tot ſunt, ſint quamuis plurima, nulla.
Quae mihi non recitas, optima, Vare, puto.

Idem.

IN AVLVM, POETAM.

Aonides riſere, quod ipſas inuocet Aulus,
    Chartae pernicies Aulus et exitium:
Qui genio indulgens verſus ſine fine pudendos
    Euomit, aeternas et cacat Iliadas.
Quique Sophocleo ſuras vincire cothurno,
    Plautinoſque audet commaculare ſales.
Hinc magis atque magis geminato Muſa cachinno
    Ridet, et hoc Aulo mittit Epiſtolium:
Non mihi, ſed ſcombris foetentibus, imo latrinae
    Debentur foetus, ambitioſe, tui.

Farsetti.

DE CLOELIA CANENTE.

Incertus terrasne colam mortalibus haerens
    Artubus, an magnos euehar ad Superos,
Mira tuae ſenſim libo modulamina vocis,
    Qua mi elapſa fugit, Cloelia, anhela anima:

Ac

Digitized by Google

Ac veluti demiſſa polo quem fulmina terrent
Nutat, iamque animum vix potis arrigere eſt;
Haud aliter plectrumque, lyraeque ſonantia fila
Ipſemet, et celeres obſtupeo articulos.
Phoebe ſile, Thebana ſile qui moenia condis:
Omnia diuina Cloelia voce refert.

Idem.

PINDI DESIDERIVM.

Aonii colles, atque alti culmina Pindi,
Quo me praetrepidans carminis ardor agit,
Quando erit, vt reducem poſt longum a vertice ſacro
Exſilium accipiat me mea Muſa ſinu?
Quando erit, Aſcraeo vt pateant mihi fonte liquores,
Et ſitiens puros ore bibam latices?
Qualis vbi inuitus maternis exſul ab oris
Ingemit ingratas anxius vſque moras,
Quam reuocat genitor longaeuus, et optima mater,
Quem gnati, et fuſis blanda puella comis:

Talis

Digitized by Google

Talis ego, ingrati quem taedia longa Lycei
Pierio abſtractum detinuere iugo,
Quem doctae inuitant celſo de colle Camenae,
Inuitat placido quem vaga lympha ſono.
Ergo iterum Pindi quaeſitum habitare cacumen,
Atque Aganippeos incoluiſſe lares,
Et modo, laurigeros qua Caſtalis vnda receſſus
Abluit, e vario nectere flore comas,
Et modo iucunda recubanti Heliconis in vmbra
In viridi liceat membra leuare toro.
Heic citharae libeat Phoebeas pollice chordas
Tangere, et imparibus ludere carminibus.
At prius e ſacra iuuenilia tempora lauro
Praecingat vati Calliopea ſuo.
Tunc ego, quae vates olim Vmber, quaeque Tibullus
Argutae poſſim fila mouere lyrae,
Rura canens, ruriſque deos, Faunoſque bicornes,
Teque pharetratae ruſtica turba deae;
Aut veteres Thebas, aut Pergama, Apollinis arces,
Caeſaris aut forti parta tropaea manu;
Horrida vti caelo mouerunt bella Gigantes,
Sidereas auſi ſcandere velle domos;
Vt creuere pares ſilueſtri ex vbere reges
Educti, et magni moenia firma Remi.

Atque

Atque haec dum vigeant iuuenili in corpore vires,
Et nigram nondum laeſerit alba comam.
Mox ego diſcupiam naturae arcana latentis
Quaerere, perque nouas aetheris ire vias:
Vt ſaepe ingenti pauidas formidine gentes
Compleat e propriis excita terra locis:
Cur caelum rutilo late fulgore coruſcet,
Cur praeceps alto fulmen ab axe cadat:
Qui iactent pelagum venti, cur aeſtuet vnda
Aequoris, vt faciem menſtrua luna tegat:
Aëriam quis pingat aquam, quis flectat in arcum,
Cur haec aduerſo non niſi ſole micet:
Vnde ſuos capiat radios Aurora ſub Arcto,
Aut vnde in nubes lympha perennis eat:
Quid lateat terris, quae tot cernantur Olympo
Lumina, colluſtrent qua ratione polum.
Audior: en voti compos, et longa relinquens
Taedia, perluſtro, qua via nulla, nemus.
Obvia mi ſubito Phoebi ſeſe vna Sororum
Offert, et niueo pectine monſtrat iter,
Qua ſua Maeonides victor veſtigia figit,
Qua ſua Callimachus, quaque, Phileta, tua.
Et ſacram oſtendit laurum, ſiluamque ſonantem,
Et fontem, doctas Bellerophontis aquas.
O vtinam poſſim ſecuram heic ducere vitam,
Et nunquam caro vellier hoſpitio!

Nam

Digitized by Google

Nam quid deliciae proſunt, quid inania vulgi
Gaudia, quid lautae plurima gaza domus.
Haec alii cupiant, cupiant et ſanguine partas
Victorum lauros, Martiaque arma ſequi.
Mi ſatis Aonium labris haurire liquorem,
Et legere e ſacro laurea ſerta iugo.

Garvlli.

ELEGIA
IN FVNERE RICHTERIAE.

Pietas, quam Priſcillae tuae praeſtas, et morum tuorum pars eſt, et nulli non conciliare te praecipue marito, poteſt. Vxorem enim viuam amare voluptas eſt, defunctam, religio. Ego tamen huic operi nou vt vnus e turba, nec tantum quaſi officioſus aſſilui. Statius Silv. V. praef. ad Abaſcant.

Lauros pone ſacras, moeſtaque obſcura cupreſſo
Ora tegens, vatem, Cynthie, plange tuum.
Plange tuum vatem; nati in luctu atque dolore
Intactis animis, quis pater eſſe queat?

Vosque

Digitized by Google

Vosque nouem veſtro Diuae modo plangite alumno.
Nunc decet, heu, lacrimis, nunc, maduiſſe ſinus!
Quos quondam Odryſiis lugubri carmine in oris
Tentaſtis, moeſtos nunc reuocate modos.
Eurydicen flebat veſtrae pia cura ſororis,
Orpheus; Eurydicen littora lata ſonant.
Tum vos ante rogum triſtes ſociaſſe querelas,
Flebilibusque modis concinuiſſe ferunt.
Quodque miniſterium vati ſua dextra negabat,
Pulſaſtis doctae fila ſonora lyrae.
Nunc quoque triſte melos veſtro et miſerabile alumno
Concinite; Eurydicen flet miſer Ille ſuam:
Quemque refert dulci cantu de Strymone vatem,
Coniugis affectu nec minus Ille refert.
Nam, fidi exemplum magnum et memorabile amoris,
Coniugium priſco more fideque colit.
Scilicet antiquo, cum ſceptra Aſtraea tenebat,
Tempore, cum ſancto ſtaret honoſque toro:
Multos cernere erat, iunctos iuuenilibus annis,
Ardorem iuuenum pectore ferre ſenes.
Mutua ad extremam durabat cura ſenectam,
Vnaque ad Lethen ibat vterque rate:
Aut ſaltem in dulci, cum vellent fata, cadebat
Coniugis alterius ſera ſenecta ſinu.

Auſus

Digitized by Google

Auſus es antiqui morem laudemque referre
 Aeui, priſcorum iura hominumque ſequi.
Non longum imminuit conſtantem tempus amorem;
 Annoſo ſenio conſenuitue fides.
Corporis vt vires annique et pallida Febris
 Carpebant, magis hinc ipſe vigebat amor,
Ille alimenta ſibi viresque petebat ab annis,
 Cauſſa etiam ardoris plurima morbus erat,
O fidum quoties ego ſum miratus amorem!
 O quoties ſanctam legitimamque fidem!
Nunc etiam afflicti quanti ſint pectoris aeſtus,
 Vidi, mensque nouo eſt mota dolore mihi.
Nam quamquam mea non aequant Tua tempora vitae,
 Inque patris pietas Te mea parte colit;
Foedus amicitiae tamen, hoc iuuenile ſenili
 Communes curas pectus habere, iubet.
Sitque etiam illa meae, ſit gloria magna iuuentae,
 Non tanto iuuenem diſplicuiſſe Seni!
Sicque Tuo iunctum noſtrum, haud memorabile nomen
 Ad ſerae aetatis tempora fama ferat,
Dicaturque aliquis ſenior, venerabilis annis,
 Richteri iuuenem lege adamaſſe *Senis*.
Ergo, quod patri natus, quod amicus amico,
 Praeſtat, fas mihi ſit; ſit, Tua fata queri:

 Et

Et Tibi ſolliciti ſolatia ferre doloris,
    Afflictum cura corque leuare graui.
Sed ſatis eſt, monuiſſe animum pietate potentem,
    Fidentemque Deo, morigerumque Deo.
Ille Tui luctus, lacrimarum ille vnicus auctor,
    Quo ſenii minuas taedia longa, dabit.
Si nullo comite eſt via iam calcanda ſenectae.
    Hoc duce tuta tamen, quae via reſtat, erit.
Nec deerit, Tibi quae ſubter veſtigia laeto
    Surgat flore, nouo rore madensque, roſa.
Ah quantum eſt, ſiſum eſſe Deo! ſolatia luctus,
    Praeſidia hinc vitae cuncta, petiſſe ſibi!
Dulce eſt, heu, lacrimis ſi turgent lumina, amici,
    Solantis fletus, illacrimaſſe ſinu:
Dulcius eſt, Tibi mens ſi dicat conſcia: amicum
    Numen et has lacrimas, hos gemitusque, videt.
Sic Tibi tot decorum, quorum ſplendore refulges,
    Luce diu, et triſti ſit ſine nube frui!
Praegreſſamque animam Teque inter gaudia voto
    Vno exoptantem, cum vocat ordo, ſequi!

Christ. Gottl. Heyne.

AD

Digitized by Google

AD
PETRVM LEOPOLDVM
IMP. AVG.

Vt, quum nigranti nox ſera turbine
Inuecta, terras quae ſimul horrida
Caelumque victrici refuſum
Surpuerat glomerans procella,

Lateque, qua ſe detulerat graui
Timenda torti fulminis impete,
Immane degraſſata, tandem
Detonuit, reducem ſalutant

Horis recinctum magnum Hyperiona,
Aurei parentem luminis, excitae
Plagaeque terrarum et ſequaci
Adſtrepitant vada ſalſa riſu:

Gratante plauſu ſic ſtupuit TVO
Contactus orbis lumine, fulgidum
O Sidus Europae, o Columna
Auſtriacae, LEOPOLDE, gentis.

Vultu paterno TV recreas bonus
Terras Gradiui fulmine dirutas,
Aequisque pacatas refrenas
Legibus, imperioque durus

Cogis rebelles. Concelebrant pia
TE vota, TE ſuſpiria virginum
Matrumque, deteſtata longum
Martis opus, PATRIAE PARENTEM.

Proh quanta campis Moldauicis iit
Procella ferri, quanta Valachios
Ahena tempeſtas agrosque
Depopulata tulit Gelonos.

Quum ſulfuratis feta tonitruis,
Excita ab antris monſtra Acheruntiis,
Tormenta Taurunum Nouosque
Praecipiti quaterent ruina.

Furorque ſaeuam Biſtoniis facem
Vibraret aruis, vt gemeret grauis
Tibiſcus, arctatuſque pigro
Oceanum peteret fluento

Regnator

Digitized by Google

Regnator vndarum Iſter arundine
Squalens cruentata. Heu quoties minor
Latois exhauſto pudendum
Palluit ore nefas Gradiui!

Ipſumque, dirae qua fureret ſolum
Torrente caedis, qua meteret, ferum
Laetata, Enyo denſa ferro
Aequora, continuiſſe currus

Ferunt citatos attonitum plagae
Horrore Phoebum, quin auidas luem
Odiſſe feralem volucres,
Et trepidis fugitaſſe remis.

At nunc ouanti Pax graditur pede
Per arua, centum fertilis artium,
Et qua renidentes benigna
Fert oculos, virides tumeſcit

Natura fetus. Horrida frondibus
Crinitur arbos, luxuriant nouis
Vites racemis, conſciusque
Canet ager rutilis ariſtis.

Iamque et nefandos, quos male cuderat
Ciuilis ardor, Flandria proiicit
Enſes, ſuoque adſtrictus alueo
Scaldis, aquis minor, ora condit.

O vſque dulci Teutonis otio,
O Auſtriorum Maxime Caeſarum,
Beata, TE donante, laetum
Flore decus vehat in remotos

Felix nepotes. Sic vigeat TIBI
Auguſta CONIVX, ſic TVA, Numinis
Labor ſupremus, copioſa
Prole DOMVS ſtabilis perennet.

An

Digitized by Google

An Leopold *).

Wie wenn die grauſe Nacht in der düſtern Hülle des Sturms Erd' und Himmel in aufgethürmten Wettern ſiegend dahin reiſst, weit umher, wo ſie hinſtürzt, fürchterlich mit ſchmetterndem Strahle geſchleuderter Blitze grundaus verheeret, nun ſie ausdonnert, und ſchwindet: endlich wiederkehret der mächtige Phoebus im Glanze der Horen, des goldnen Tages Erzeuger; ihn grüſst das auflebende Land; ihm rauſchen die ſalzigten Fluten lächelnd entgegen:

So ſtaunte mit dankendem Jubel der Erdkreis, von deinem Abglanz erhellet, o du Europens ſtrahlende Sonne, Leopold, du Auſtriens ſichernde Stüzze.

Länder, der Kriegsflamme Raub, erquickt dein Vaterblick mild und voll Güte; zu Friedlichen neigt

*) Inſerui hoc carmen in Leopoldum, vt locum facerem verſioni, qua illud vere nobilitauit *Generoſiſſ. de B***k*, Muſarum Viennenſium eximium decus, omniſque politioris literaturae Iudex intelligentiſſimus, cuius propenſum in me ſtudium ſemper gratiſſima mente recolam.

neigt ſich dein Zepter mit edlem Zwang weiſer Geſetze; aufrühriſche Horden erbeben vor deinem ſchwer treffenden Arme.

In Segenswünſchen ertönt, in Seufzern froher Töchter und Mütter, fluchend dem lang tobenden Hader, ertönt dein Ruhm, du deiner Reiche hehrgeprieſener Vater.

O Götter, wie ſchauervoll ſchlug auf *Moldaviens* Fluren der Eiſenſturm nieder! wie ſchrecklich verheerend ſtürzte der eherne Hagel auf *Walachiens* Saaten, auf der *Gelonen* Gefilde!

Als von Schlünden mit Schwefelkeilen gefüllt — aus *Acherons* Tiefen hohlte Zwietracht die Ungeheuer — *Taurunum* und *Noui* ſchnell zertrümmert dahin ſank;

Als über *Biſtoniens* Gauen der Kriegsdämon die grauſame Fackel ſchwang, daſs ſchwer aufſeufzte die *Theyſs*; daſs *Iſter*, König der Ströme beengt im blutberonnenen Schilfgewande trauervoll die trägen Wogen zum Ocean rollte.

Wie oft erblaſste mit ſchwindendem Antlitz *Latois?* ob *Gradivens* gräſslicher Schandthat!

Selbſt

Digitized by Google

Selbſt *Phoebus* — ſo ſagt man — hielt ein den ſchnellrollenden Wagen, beſtürzt beim Anblick des grausvollen Erdſtrichs, da wo der Boden aufwallte von rauchendem Blutſtrohm; da wo *Enyo* die weiten Ebenen dicht von klirrenden Waffen empört, niedermähte wildjauchzend.

Selbſt gierige Geier ſcheu'ten die Seuche, und entflohen den tödlichen Quaalen mit bebendem Fittig.

Jezt, jezt wandelt über die Fluren *Irene* ſiegprangend, jeder Kunſt fruchtbare Mutter; wohin die Holde den glänzenden Blick wirft, ſchwellt die Natur jeden Keim mit Gedeihen.

Jezt grünt der lang verwilderte Baum im Schmuck ſchattigter Zweige; jezt ſchwelgt mit üppigem Geſchoſs die verjüngte Rebe; ſo fühlt auch das Blachfeld den einſtröhmenden Segen wallend in goldnen Aehren.

Und ſieh! das ruchloſe Schwerd, von Bürgerwuth zum Verderben geſchmiedet, wirft *Flandern* nun von ſich, und in ihr Geſtade verſcheucht hebt leiſere Fluthen die *Schelde*.

Digitized by Google

O daſs ewig mit ſüſſer Ruhe beglückt *Teutonia*, beglückt durch dich, gröſter der Kaiſer aus Oeſtreichs Herrſchern! ihrer unverwelklichen Blume ſegnende Düfte unverſiegbar auf kommende Enkel ergieſſe!

Dann freue dich lang deiner erlauchteſten Gattin! unerſchüttert ſtehe dein Haus, der Gottheit Werke das Gröſste, in zahlreichen Sproſſen verherrlicht bis an der Zeiten Ende.

AD PHILOSOPHVM THRASONEM.

Ecquid tuas tumentibus buccis crepas,
Fabulle, laudes? Quid modo ſimili inſonas:
Si me in Lycea vocet Ariſtoteles, ſequar,
Si doctus in Academiam Plato, ſequar,
Si Zeno tandem, et ipſe Pythagoras, ſequar-
Jam te vocat, Fabulle, Pythagoras. Tace,

DENIS.

Digitized by Google

DE RVFFO.

Miraris, cur te fugiant hominesque, feraeque,
Solus et incedas per fora perque vias?
Fabula neſcio quae narrat te, Ruſte, fuiſſe
Ex tonitru et nimbis fulminibusque ſatum.
Scis etenim haec grauidos populari meſſibus agros,
Et complere metu quidquid in orbe viget.
Horribili ſic tu voce, aſpectuque minanti
Erras hac illac omnia terrificans.
Quare aut cur fugiant mirari deſine, Ruffe,
Aut fieri tandem mitior incipias.

FARSETTI.

Digitized by Google

IN PAPAM ORDINEM INQVISITORVM A DOMINICO DE GVZMAN INSTITVTVM VT OLIM FEREBATVR, ABOLITVRVM.

Qui dubitas Chriſti Petrique vicarius an ſit
Papa Pius, demtis credito nunc dubiis.
Gusmanni ſaeuam depellens orbe cohortem,
Annon digna Petro, teque, Theander, agit?

POLYDORVS NEMAEVS.

IN ZOILVM.

Zoilus errantem me deprendiſſe putauit
Et id crepat ſodalibus.
Erraui, fateor, fueratque grauiſſimus error,
Quod hunc amicum credidi.

HEVSINGER.

Digitized by Google

AD STANISLAVM AVGVSTVM

POLONIARVM REGEM.

Qui modo depreſſis nebuloſus cornibus ibat,
Signa ferens luctus non dubitanda ſui,
Viſtula arenoſis ſanctum caput extulit vndis;
Stillabant hirtae caeruleo amne comae;
Vidit et antiqua claros virtute Polonos,
Vt legerent regem, rite coire, nouum.
Macte, ait, o magnae ſtirpis generoſa propago,
Multa clarorum laude ſuperba patrum,
Quos ego pro patria, pro libertate tuenda,
Sanguine vidi vndas tingere ſaepe meas;
Sed, ſeruire ſuis dum nollent regibus, illis
Seruitium legum gloria ferre fuit,
Parere et monitis meliorum tuta probare
Conſilia, et iuſtum, fasque piumque ſequi.
Quorum nunc memores, memores virtutis auitae,
O nati, ad Campum nunc properate ſacrum!
Nulla, niſi illuſtri virtute auguſta, refulgens
Maieſtate, pium frons diadema gerat!

Non

Non eius, vano qui exultet nomine; non qui
Regum ius luxum mollitiemque putet.
Seruitio adſuetis populis rex imperet ille!
Non vobis dominum fataque ſorsque ferunt.
Turpe erit, ex cunctis non elegiſſe priorem
Laude, et qui dignos dignior inter erit;
Regibus ex atauis ortus, virtute paterna
Conſpicuus, propriis muneribusque potens;
Quemque animus celſus ſublimi in pectore dudum
Deſtinat, eloquii et gratia melliflui;
Artibus ingenium cultum melioribus, et quod
Spem facit, has populo poſſe placere meo.
Vox erat in curſu, REGEM vt fremebunda ſalutat
Turba STANISLAVM; littora lata tremunt.
Exilit, vndiſonoque aſſenſum murmure miſcens
Laetior admiſſis ad mare pergit aquis.

C. G. Heyne.

IN

IN IMAGINEM
IANI SECVNDI.

Si cunctos ſuperaſſe modis, vt tempore, vates,
Quos Latio oſtentat terra Bataua, parum eſt;
Glorior hoc vno, quod non audita recluſi
Auſus inaceſſam vatibus ire viam.
Primus ego, intacta velatus tempora fronde,
E gelidis cecini baſia nata roſis.
Primus ego edocui iuuenes, tenerasque puellas
Figere millenis baſia mille modis.
Ponere et ambroſiis vitam et reuocare labellis,
Et miſcere animas iuncta per ora duas.
Ergo, dum cupidi libabunt dulcia amantes
Baſia, erunt Muſae baſia nota meae.

I. H. Hoevfft.

IN

IN IMAGINEM.

I V L I A E.

Salue, diuino nomen ſortita Secundo
Vatis amatoris Iulia ſculpta manu.
Vt ſtupeo roſeasque genas, tumidasque papillas,
Luminaque Eoas vincere nata faces!
Cedat ab artifici iam Zeuxide picta Lacaena,
Cedat Apelleae iam Venus artis opus;
Cedat ab arguto Nemeſis celebrata Tibullo,
Cedat ab Auſonio Cynthia Callimacho.
His tantum alterutram conceſſit Fama per artem
Viuere, tu gemina laude ſuperba nites.
Scilicet ambiguum, melius te Mentoris aere,
An melius numeris pinxerit ille ſuis.

I. H. Hoevfft.

Digitized by Google

SPONSAE AD SPONSAM IN BELLO LETHALITER VVLNERATVM MONOLOGVS.

O leuis, o ſortis nimium mutabilis aura!
O hominum fati mens male gnara ſui!
Coniugii felix pompam veſtesque parabam,
Ornarem teneros quis noua nupta ſinus;
Iamque propinquantis numerabam temporis horas,
Mutua quo fidus corda ligaret Hymen.
Omnia Mars vertit, qui te, plorante puella,
Axe ſub Arctoö triſtia ad arma vocat.
Nec ſat complexu miſerae caruiſſe cupito,
Nec ſat erat thalami gaudia luſa queri;
Sollicitique dies plenos duxiſſe timoris,
Ne feriat carum tela inimica caput;
Debuit euentus quoque reſpondere timori,
Vt mihi perpetuum ſpes ſit ademta tui.
Sic mihi promiſſos ſoluis, miſerande, triumphos,
Sic debellato victor ab hoſte redis!
Victor es, at proprio victoria funere parta!
Gloria quam care conſtitit illa mihi!

Digitized by Google

Hei mihi, quod ſaltem, te diſcedente, ſalutem,
Vltima nec licuit dicere iuſſa tibi!
Forte meis monitis ad proelia cautior iſſes,
Pluſque memor noſtri, plus memor ipſe tui.
Neſcio quid ſperare mali generoſa iubebat
Mens tua, et heu! madidis litera lecta genis.
Non mihi, ſcribebas, praecordia molliet, auſus
Calcar ad egregios ſed graue ſubdet Amor.
Vt ſtudeam regi virtute tibique placere,
Et te magnanima commeruiſſe manu.
Ipſa tamen ſine te ſordet victoria, dextra
Nec niſi nexa tua laurea ſerta iuuant.
Omnia nam ſordent; ſomni ſine munere noctes
Et gemitu ingratae tempora lucis ago.
Tu noctes, tu, vita, dies mihi redde ſerenas,
Pectora quaque potes parte leuare leua.
Huc ades, et, Mauors quae nobis abſtulit atrox,
Tu refer optati gaudia coniugii.
Non nemorum latebrae, iuga non praerupta mo-
rentur,
Saxaque femineo vix ſuperanda pede.
Ergo ſuſtinui, flammis animoſa pudicis,
Spernere longinquae tanta pericla viae;
Vt tua conſpicerem aeternae luctantia nocti
Lumina, lethali tactaque membra globo?

Hoc

Digitized by Google

Hoc igitur meruit pietas ſpectata fidesque,
Hoc igitur pretium grande laboris erat?
Hei vbi nunc, ſpes vana metum quum corde fugaret,
Somnia, ſolamen quae mihi ficta morae?
Iam nunc finitimis, dixi, ſpeculatur in agris,
Si videat noſtras forte venire rotas.
Vt deſiderio impatiens ſtimulante volabit,
Credat vbi noſtras ille venire rotas.
Haerebitque meis non diuellendus in vlnis,
Iunget et in longas oſcula tracta moras!
Vt lacrimis animi motum teſtabimur ortis,
Pectore laetitiam non capiente ſuam!
Currite iam lacrimae, ſed luctus cnrrite ſigna;
Fugerunt animo gaudia cuncta meo.
O ego, ne tanto ſupereſſem moeſta dolori,
Quam vellem lateri iuncta obiiſſe tuo!
Aut, quum dulce ſolum patriae carosque parentes
Linquere, et huc greſſum ferre iubebat Amor,
Latronum gladio cecidiſſe, aut ore ferarum,
Fluminis aut rapidis merſa fuiſſe vadis!
Quid precor? hoc ſaltem praebet ſolamina menti,
Quod triſtis poſſum dicere triſte vale.
Accipe triſte vale, et miſtos cum ſanguine fletus,
Accipe pallidulis baſia fixa genis.

Digitized by Google

Accipe et hanc animam, officio, male firma peracto
Quid ceſſas vitae rumpere fila, manus?
Quid petere haec ceſſas transfixo pectora ferro,
Inferiae vt ſponſi manibus ipſa cadam?
Quid ferrum prohibes, frater, quid mater amantis?
Me quid, amans, fracta viuere voce iubes?
Nil agis; in luctu traducam temp[illegible]a, donec
Et lucem et luctum finiat ipſe dolor.
Nonne vnum ſatius, quam funera mille ſubire?
Impius es, nimium dum cupis eſſe pius.
Supremum hunc, dilecte, mihi concede fauorem,
Vt tibi, ceu vita, ſim quoque morte comes.
Non reſponſuro ſed quid verba irrita perdo?
Corpore iam fugit ſpiritus; vmbra vale.

I D E M.

IN

Digitized by Google

IN PIVM VI. PAPAM.

Inclamaſſe Pium fertur Papa Sixtus ab axe:
Pone caput, feſſosque oculos furare labori,
Ipſe ego pauliſper pro te tua munera inibo:
Fulmina Pontificis quaſſans. Nil talia, triſtis
Noſter ait, proſunt; audax, qua viuimus, aetas
Ipſam adeo aetherei declinat fulminis iram.

F. A. Knittel.

AEVITERNITAS LIBELLI.

Aeuum principio caretque fine
Sic aeternus erit Lupi libellus.

Denis.

AELV-

Digitized by Google

A E L V R I A S.

EPOS IOCOSVM.

LIBER I.

Auſa atque exhauſtos mihi, Muſa iocoſa, labores
Et fatum magni memora lacrimabile felis,
Qui nigra Tartareae traiecit ſtagna paludis,
Heroúmque inſtar meruit ſub marmore condi.

Sed tu, quae ſolidam, formoſa Roſaura, per horam
(Parcius annoſum flet ſaepe puella maritum
In iuuenes non dura procos) tua gaudia, Cyprum
Ploraſti, iam, quae tacitis tot pectora flammis
Incendunt, agedum, victricia lumina Muſae
Aduerte, et facili coeptis allabere riſu,
Vt ne Taenarii feralia murmura riui
Horreat, vt ſeſe palantibus inſerat vmbris,
Quae Styga contendunt cymba transire Charontis.

Villa Albi vicina fuit, venerabilis aeuo,
Quam frugi Rabanus neptisque Roſaura colebant.

Late

Digitized by Google

Late forma vni par non erat altera nepti,
Gratia non Charitum potior, nec fulſerat aeque
Candida, quum primum emergens natalibus vndis
Aequorea roraret adhuc Cythereia ſpuma.
Totus amat patruus neptem, et, quodcumque rogaret,
Donat habere bonus; cupiens at paucula, parco
Largius illa ſeni cara eſt. Secluſa tumultu,
Rebus amica ſuis, faſtu inuidiaque remota,
Tranquillos ſecum gaudebat condere ſoles.
Vno degebant animalia commoda bina
Cum domina thalamo, maculoſo corpore Cyprus,
Felis, et oceanum transmiſſus, Pſittacus, ales,
Frangere tardantes blaterando doctior horas,
Quam vacui capitis ceu pauo pictus Adonis.

Iam Borealis hiems canis excuſſerat alis
Extremas affecta niues. Ver mite triumpho
Inuehitur calthisque ſuper violisque nouellis,
Floridulam Zephyris circum mulcentibus herbam,
Subuiridique latens Pandione nata rubeto
Ad grandes docili praeludit gutture cantus:
Eos ſanguineo faciem ſuffuſa rubore
Quum ſeſe exſereret, ventosque cieret acutos,
Queis villa hinc atque hinc quatitur, fremituque remugit,

 Vt

Digitized by Google

Vt ſeram indignans brumam noua robora ſeruus
Aggereret, frigusque foco lucente leuaret.

Ecce autem tecto Aelurus ſeſe arduus infert.
Vaſta pererrarat tota granaria nocte,
Ac populoſa diu graſſatus in agmina, mures,
Proluerat crudo dentatas ſanguine fauces
Luxurians, ſtragisque ruens reſupinus aceruos,
Horrea rugitu victor concuſſerat acri.
Iam furtim thalamum irrepit, quum ſerua Lycoris
Feruentem bullis inferret forte lebetem,
Et potum Sinicis medicatum poneret herbis
Ad dominam properans. Sed adhuc deuincta ſopore
Virgo iacet. Picti demittit ſerica lecti
Vela et ſuſpenſo linquit pede ſerua cubile.
Herculeis Cyprus defeſſa laboribus vltro
Ardentem iuxta componit membra caminum,
Atque leoninos praetendens belliger vngues,
Declinat facili paullatim lumina ſomno.
Aurea multiuagos inuitant ſomnia ſenſus.
Nunc nitidas circum feles, Glaucopida flauam,
Se cui non alius potior, quaque vritur idem,
Leucenque, Euligyrenqne, et Pannonidem Myaphycten
Muſcoſo in tecto veteriſque in vertice muri
Conſpicit, ac placidae per amica ſilentia noctis

Molli-

Molliculos pariter gemitus ſibi mittere ſentit.
Nunc hera porrectum gremio blandiſſima mulcet
Marmoreis manibus, tereti Mauortis alumno
Vt miſere doleant oculi pinguique toparchae.
Somnia! fata inſtant, nec, vt ante, cubilibus hoſtes
Exturbare dabunt, nec te, Glaucopi, vocabit
Amplius acre gemens, gremioue impoſtus herili
Sic temere ducet tremulo cum murmure ſomnos!

Xanthippes animum in longam cum coniuge rixam
Eumenidum ſoror vna ſacro ſuccenderat aeſtu,
Iamque viam praeceps patrium relegebat in orcum
Nube ſuper graueolente ſedens, praeterque Roſaurae
Inuehitur thalamum. Sed garrulus ales vt aurea
E cauea videt anguicomam, voce increpat alta:
Vah! monſtrum! Et Stygias vrit ſua gloria Nymphas,
Eſſe ſibi veneres, queis certe aſſurgat Auernus.
Hinc, ſatis vna ſui ſexus dea, concipit iras
Alecto, ſaeuumque gerens ſub pectore vulnus,
Mene tamen, mene, inquit, auis temeraria ridet?
Nec ſcelus vlciſcor? nec collum obtorqueo? nec te
In fumum et tenues taeda hac diſpergo fauillas?
Quippe vetor, tuque aeternae digniſſima Diuae
Ipſius cecidiſſe manu. Sic amplius aude
Talia, nam licet, vltori data victima ſeli!

Haec

Digitized by Google

Haec ſecum, ſomnoque grauem pepit effera
Cyprum,
Inſinuatque ſitim caedis, dehinc ſubdola dicit:
Aelure, ignauo quo te dabis vſque ſopori?
Quo laudum generoſus amor, quo mente cupido
Ceſſit, inexpertum aeluris ante omnibus vni
Sumere grande tibi facinus, nomenque mereri?
Degener atque atauis cate tigribus edite fruſtra!
Muſculus ergo fugax validos exerceat vngues,
Muſue gigas, caudam procerus ſcilicet hoſtis?
Haud aliquando ſiti maioris ſanguinis ardes?
O viden', vt tollat caput, vt ſe iactet in auro
Pſittacus et cauea? Te vocibus vſque laceſſit,
In dominamque adeo diras temerarius audet
Dicere, quas laeto, Cypri nil conſcia, plauſu
Excipit, et magnis ſubridens laudibus auget.
I! fac, herae quondam ſis vna et ſola voluptas,
Nec vocem heroam balatro ſine rideat vltra,
Ac riſus faciat ſcurrili imitamine cauſſam.
I! miſerum caueae nequidquam clauſtra tuentur,
Nec raro, quas miſit aues Teneriffa, peremit
In cauea fortis proauus. Nunc ergo loquacem
Tu quoque riſorem perime, et, quibus ille ſuperbit,
Sparge triumphatas Zephyris ludibria plumas.

Haec

Digitized by Google

Haec Acherontis ait. Sed ſomno Aelurus abacto
Igneſcitque oculos rugitque inhiatque cruorem.
Vt ſeſe in campos erumpit fulmen olympo,
Floriferamque pirum affligit, quae ſaepe canoros
Inflantem calamos paſtorem acceperat vmbra:
Sic, vt conficeret riualem caede, camino
Emicat, et plexam Cyprus ſuperinſilit auro,
Panthera citior, caueam. Perterrita viſu
De radio volucris cadit ac miſerabile clamat,
Sed, ni luctiſona perculſus voce, repente
Tum pater adfuerit Rabanus tuleritque ſalutem,
Vixerat, et rapido diſcerpta iacebat ab hoſte.
Forte manu trepidante ſenex frugalis agreſte
Nodoſa e ſpino baculum, de more, tenebat,
Inſeſſamque videns caueam, mox neptis amorem
Cyprum aures inter medias ingente caput vi
Percutit. Immitis fatalia ſtamina Parca
Deproperat. Secta cadit ille nouemplice vita
Sub caueam cauea et caueam ſuper irruit ipſam
Ipſe ſenex. Tremit horriſono conclaue tumultu.

Confuſo ſtrepitu turbata Roſaura ſoporem
Abiicit, atque leui circumdata corpus amictu
Aduolat, et ſubitos defixo lumine caſus
Spectat. Ter reſonas tinnit ferale per aedes
Penſilis aere cauo concha. At prius ipſa leuarat,

Indiderat-

Indideratque toro patruum, quam ſerua veniret.
Poſt vbi paullatim poſuiſſet anhelitus oris,
Et iam virgo ſui funus proh! flebile Cypri
Cerneret, ecce canem! volucrem lacerare parabat!
Aſt habet! hem, poſſunt etiam nunc brachia! ſenſit
Lurco rapax, nec ad auſa mihi, certabo, redibit!
Haec iactat ſuperans animis, factoque ſuperbus
Nodoſo ter fuſte ſuper vultuque minatur
Exanimo. It contra in lacrimas, et lumina palmis
Condens, per digitos crebro labente Roſaura
Imbre ſinum rigat, et ſolio collapſa recumbit.
Muſa, mihi triſtes dominae deprome querelas,
Nec, quos fudit herae male fida dolentis imago,
Mitte referre mihi ſeruae magnos vlulatus.
Heu! quis te, miſerande, tulit, ſic orſa Roſaura eſt,
Exitus! Vt primis cecidiſti inglorius annis!
Occiſus baculo indigne, truculenter! ab ipſo
Occiſus, qui te donarat munere neptem!
Hoc de te mihi iam ſupereſt? Sic tempus in omne
Texiſti glaucos, duo ſidera frontis, ocellos?
Sic duplices barbae manus haec non amplius alas
Mulceat, aut tremulas, ſera ſub nocte, tenello
Scintillas crine eliciat? Nec corpore gibbo
Amplius, aut lepidis longas mihi ſaltibus horas
Eheu! decipies? Sic haec. Sic ſeruula pergit:

Quantum

Digitized by Google

Quantum in te inſtar erat! Quantum tibi, Cypre catorum
Diſtabat, quos vilis habet plebecula, vulgus:
Purpureum cunctis longe lateque monile
Fecerat inuidiam aeluris. Redimitus eburna
Colla oſtro, quam bellus eras! Nunc ergo putreſces?
Atque monile etiam? non dulce monile putreſcet!
Hoc domini ſeruabo memor! Sed inania ſenſu,
Heu! vt membra iacent! Caput heu! vt ſanguine ſtillat
Puniceo! Fuit! aeternum fuit! Ah! mi Cypre!

Hactenus, et triſtes orditur denuo queſtus
Virgo dolens, fletque ipſe ſenex, dextraque prehenſam
Luctifica rogitat neptem decedere ſcena.
Tum ſerua exclamat vocalius, ah! mi Cypre!
Et cum ſingultu repetit domina, ah! mi Cypre!
Clamat Cypre! domus, Cypre, ah! mi Cypre! peremto
Pſittacus ignoſcens hoſti. Videt omnia diro
Laetabunda ſinu, fuſcatumque aera Erinnys
Perſtrepit, et ſtygio praeceps illabitur orco.

AELV-

AELVRIADOS.

LIBER II.

Sed vix ſola ſibi conclaue Lycoris habebat,
Ponere perſonam gaudet, querulasque Roſaurae
Alterna reſequi deſiſtit imagine voces.
Iam, quem ſemper erat, dum viueret ille, peroſa,
Fronte ſerenata Cyprum tranquilla tuetur,
Haud aliter fuſos campo circumſpicit hoſtes
Laetus Marte ſuo, et caeſorum in ſanguine paſcit
Victor trux oculos. Super alta cadauera ſeſſor
Ingreditur ſpumantis equi. Dum claſſica fauſtum
Paeana ingeminant, celſum aethera vertice tangit.
At pede ſanguineum prouoluit ſeruula corpus,
Eripiens collo domina geſtamen ab ipſa
Nexilibus foliis illuſum et floribus aureis;
Quo nunc exſultans ſpolto, me terque quaterque
Et quoties, inquit, non eſt numerare beatam!
Spes fuit ex longo, tua te petulantia quondam
Sic vt praecipitem daret, abiectiſſime rerum,
Speque potita fruor. Confectum denique coram

Hunc

Digitized by Google

Hunc ego te adſpicio, neque iam, velut ante, timendum eſt,
Ne foueat te virgo ſinu, detue oſcula roſtro.
Horreſco! ſed enim potuit, dabat oſcula roſtro,
Lacteolaque manu pellem mulcebat olentem.
I nunc, praedo vorax, aſſi mea fruſtula pulli,
Sepoſitumue mihi porro clepe, carpe minutal!
I nunc, namque licet, teneris epulare columbis,
Et tua non vnus ientacula pſitacus ornet!

Talibus exſtinctum deridet ſeruula Cyprum.
Quam cito, nulla ſpei ſupereſt vbi cura metusque,
Blandula verba loqui parcit mutabilis aula!
Nunc pede poſtico prenſans, in turpe fimetum
Proiicit Aelurum per apertas ſerua feneſtras.
Sic ruerant regis ſtatuae, ſic putrida, quondam
Romae horror, iam truncus iners, in ſtagna cadebat.

Interea fugiens atrum conclaue Roſaura
Aduertit patrui dictis ſolantibus aures.
Nunc iter in thermas, nunc munera pulcra minatur,
De nitida veſtes bombyce, nouoſque colores,
Ignotos veteri ſaeclo noſtrique repertos
Temporis ingenio, quos ſola, domiue, foriſue,
Quos hera frugalis malit, quos bella puella,

Pro-

Promittit, longumque iubet ſuſpendere luctum.
Laetior illa ſuum redit in penetrale, ſuasque
Delicias oblita, nihil iuſta vltima curans;
Se comtura ſedet. Reteguntur ſcrinia, capſae,
Pyxidulae. Nigris candent calamiſtra caminis.
Arte laborato de puluere candida nubes
Voluitur ad ſolem, et crines niue ſpargit odora.
Accelerant pilenta; frequens conſpectus in auro
Hoſpes adeſt. Acri dudum nidore culina
Aeſtuat, intinctuſque aſſataque depſtaque ſpirat.
Iamque ſedent ſtructam circum longo ordine menſam
Conuiuae, vinoque animos riſuque iociſque
Diffundunt, et nunc annos ſibi quiſque precantur,
Nunc bene vos pulcrae dicunt ad vina puellae,
Vſque ſub occiduo dum noctifer Heſperus axe
Emicat. Interea argutos doctiſſima neruos
Ad liquidam vocem pulſu concorde Roſaura
Motat, amicarum circum auſcultante corona.
Sic gemitus omnemque tulit leuis aura dolorem.

Aeluri haec inter ſub Taenara venerat vmbra.
Dii, quibus imperium Stygis eſt, regeſque ſilentum,
Vos, Manes, Chaos et Phlegethon, mihi fas ſit Auernum
Atque Erebi ſuperis aditus aperire profundos.

Cimmerias

Cimmerias tranſit tenebras et inania regna
Aelurus Ditiſque domos. Iam fertur in ipſum
Veſtibulum. Hic Curae vltrices, Luctusque, Fameſque,
Et tetri ſtabulant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et cum Pauperie pallens Metus, horrida monſtra,
Bellum et vipereos quatiens Diſcordia crines.
Stabant vmbriferae lucis horrentibus vlmi,
Quas circum diris volitant Inſomnia formis,
Multaque praeterea errabant portenta, Chimaerae,
Gorgones, Harpyiaeque, et ſemihomines Centauri.
Anxius et trepidans per monſtra haec talia Cyprus
Ad Stygias properat ripas, et moeſtus oberrat
Flumina Cocyti iuxta. Ruit agmine pigro
Riuus et aduerſae ſe voluit ad oſtia Mortis.
Has tetricus cymba ſulcabat portitor vndas
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canities inculta rigens ad cingula pendet.
Contracto in rugas vultu ſedet ille, ratemque
Per lentos conto fluctus ad litora pellit
Vmbrarum innumera late feruentia turba.
Hic ſimul et reges ibant vateſque, tragoedi
Aurifices, Veſtae Venerique operata iuuentus
Vulgiuagae, ſures curatoreſque, medentum
Turba et humatorum ac facile ſolabilis heres.
Hic animas inter volucrumque canumque catorumque

Digitized by Google

Vna ibant dominae, natique in litore matres
Dum clamant miſeri, ſolos in litore linquunt,
Inque ſinu ſecum, ſua priſtina gaudia, geſtant,
Vt dominas pro more decet, trans ſtagna catellum.
Sicut, vbi quondam autumni ſub frigore primo
Pallentes Boreas perſtridet turbine ſaltus,
Spargitur in vallem foliorum deflua nubes;
Agmina ſeu veluti ſeſe peregrina volucrum
Ad Thules glomerant magnis clamoribus oram:
Ad ripas ſic turba ruunt, manibuſque Charonta
Porrectis orant, primi conſcendere puppim.
Ipſe ſenex tacitus nunc hos, nunc accipit illos,
Aſt alios lento longe remo arcet arena.
Durus enim nullos tranſportat nauita manes,
Si non oſſa prius tumulo ſuppoſta quieſcant.
Propterea rate Cypri etiam depellitur vmbra.
Litore diſcurrit toto transmittere certus
Nequidquam, et ſaltu tandem in vada liuida fertur,
Vt nando ſuperaret iter. Sed portitor inſtat,
Excipiens miſerum remo, ad terramque reiectat.
Exſpes ille igitur lemures ſeſe inter inanes,
Qui ſuperos terrent, miſcet, villamque reuiſit,
Inque fimo abiectum corpus videt, ipſa renidens
Naſum vt criſparet cum Mopſo Niſa bubulco.

AELV-

Digitized by Google

AELVRIADOS.

LIBER III.

Iamque diu denſas nox atra potentibus alis
Terram omnem villamque ſuper diſperſerat vmbras;
Horaque praecipitat coelo, illaetabilis hora,
Qua paſſim lemures perterricrepiſque catenis
Flammatiſque oculis laruiſque informibus errant.
Iamque antiqua domus ſiluit; iamque alma Roſauram
Demulcet Rabanumque quies, ſomnoque ſepulti
Iam pueri famulaeque iacent villaeque magiſter.
Sola Lycoris adhuc nocturnam ad lampada nendo
Vrget opus, nitidos feſtinans ſedula cirros,
Munera, quae, ſua flamma, niger venator haberet.
Ecce ſub annoſa pendentia concaua turri
Horrificam aera tonant biſſenis ictibus horam
Haeret acus medio in puncto tremuliſque repente
Excutitur digitis opus, arreptaque lucerna
Cochlidibus ſcalis ſerua exſternata propinquat.
Sed quid non formido poteſt? Dum culmina ſubter

Digitized by Google

Summa domus exile petit, ſua regna, cubiclum,
Deorſum, caeca metu, defertur ad oſtia cellae.
Ex longo haec fuerat vaſta, horrida, lurida ſedes
Quorumuis lemurum. Voces audire gementum
Concubia ſub nocte et lumina glauca videre,
Hic erat, ardentes inter vigilantia gazas.
Conſtitit hic veluti de caelo tacta Lycoris
Ad fauces cellae. Crines nouus arrigit horror,
Atque amens ambaſque genas exhauſta pauore
Ad ſuperum trepidans recipit veſtigia tectum.
Iamque magis ſecura fores aperire cubilis
Dum parat, irati ſpecies venit obuia felis
Cum ſtrepitu, horribilis viſu, multasque vomentis
Ex oculis flammas, denteſque ferociter omnes
Rictu exſertantis. Sed magnum exclamat, et alte
In lectum demerſa ruit, treſque angitur ipſas
Inſomnis, tres corde tremit genibuſque per horas,
Nec ſemel auſa caput confertis promere plumis.
Sub lucem vix prima quies ſubrepſit ocellis.

Inde ſenem petit vmbra; vltrice exaeſtuat ira,
Ac menſam inſultat, qua teſta maligna micabat,
Emicat illa tremens, glomeratque exſtincta vaporem.
Ac ſimul Aeluri querulis vlulatibus omnis
Impletur thalamus, ſomnoque excuſſus inhorret
Voluentemque ſenex candentia lumina Cyprum

Tarta-

Tartareoſque cauis proflantem naribus ignes
Diductoſque videt rictus, atque intonat ore,
Ac totae geminis miſcentur vocibus aedes.

Iamque ſubit dominae clementior ille cubiclo,
Seque dat in ſomnis vultu languente videndum.
Ignoſce hoc animae Cypri, formoſa Roſaura,
Pallida ſi placidam tibi turbat imago quietem,
Ignoſce hoc animae, ripis quae pulſa vagatur
Cocyti, mortis tenui dum priuor honore
Infamique iacent incondita membra fimeto.
Hoc erat, in primis carum quod ſemper habebas?
Sic manibus, dum vita fuit, tot baſia fixi,
Sic tibi falcatos texi placidiſſimus vngues,
Strenuus ergo tibi monſtra inuiſiſſima, mures,
Exegi, exſtinxi, vt tumulo poſt fata carerem?
Ecquid ego tantum merui, quod fraude ferebat
Me deus in volucrem, ſtuduique reuellere fruſtra,
Quem natura potens inſeuit, caedis amorem?
Heu! dura facinus, fuerit mea culpa, piaui
Morte parum, grauiuſque luam? Miſeratio mentem
Si qua mouere poteſt, quidquam tibi ſi fuit olim
Dulce meum, en, ſupplex adſum, diuina Roſaura,
Cyprus ego ille tuus. Bona ſis, vnamque roganti
Hanc mihi des veniam, roſtris anatumque canumque
Vt ne praeda datus iaceam tuus, optima, Cyprus.

Digitized by Google

Oſſibus indulge terram, concede vaganti
Pacem animae, vt tandem Styga tranſeat, vtque timorum
Deſiſtat iam cauſſa, aliis comes addita ſpectris,
Noctiuago fieri reditu miſerabilis vmbra!
Haec ait, et tenues ſimul euaneſcit in auras.

Et iam purpureo veſtibat lumine montes
Orta Eos. Alacris pecudes in paſcua poſcit
Buccina; ruricolae redeunt ad aratra iuuenci,
Et matutinus per agros, per prata feroci
Villicus ingreditur manno. Sed pectore noctem
Atque oculis abigit, conchaeque repente Roſaura
Penſile ter filum trahit, argutoque ſonore
Suſcitat e longo tardoque Lycorida ſomno.
Nocturno deformis adhuc venit illa timore,
Et domina alatis expromit talia verbis:
Nos vero memores Cypri tumulauimus oſſa!
Scilicet haec nobis pietas fuit! Adſtitit ecce
In ſomnis anima infelix, heu! munere noſtro
Elyſia extorris patria, ſubque oſtia Ditis
Ipſa per indignos etiam iactata labores!
Heu! mihi quid volui? Facinus non excidet vnquam!
Da veniam, dilecte, precor! Monuiſſe, Lycoris,
Quod poteras, olitor iamdudum, age, deferat oſſa

Sub

Sub tilias amnem iuxta, condatque ſepulcro.
Sic hera. Corpus adhuc totum tremo, ſeruula pergit,
Namque mihi pariter Cypri comparuit vmbra.
Vt trux vultus erat, quum ſeſe praeter euntem
Proriperet, dirum exululans! Inhumare neceſſe eſt,
Horrida ne rurſus noctem mihi turbet imago!
Nondum ea dicta, ſenex greſſu trepidante propinquat,
Et ſtimulo innitens ſic interſatur anhelus:
Ocius in terram et tenebras abſcondite Cyprum!
Occupat horror adhuc letali frigore membra.
Nam per ego vobis oculos perque omnia iuro,
Vidi furciferum! Quos flabat naribus ignes!
Vt Phlegethonteis candebant lumina flammis!
Haec a me vlterius, valde nam deprecor, abſint!

Horticolam propere dominae petit Iris, aitque:
Huc ades, atque fimo felis, Brachadipſe, cadauer
Tolle, et ſub tilia ad fluuium compone ſepulcro
Amplius vt reditu viuos ne terreat vmbra.
Aſper ab Hercynia numus, carique liquoris
Hauſtus erit parui merces non parua laboris.

Dixerat. Inſequitur pacto officioſior hauſtu,
Deque fimo tollit, ſuperimpoſitumque bidenti

Digitized by Google

Sub tiliam defert funus Brachadipſus, et alte
In gelida componit humo. Simul vmbra ſub orcum
Deuolat, atque animas miſcet ſeſe inter inanes,
Quae ferrugineam properant inſcendere cymbam.

AELVRIADOS.

LIBER IV.

Nunc animum firmare noua virtute, Roſaura,
Tempus, ſi Muſae comes ire ad Tartara perſtas,
Tartara, quae toties ipſis potuere theatris
Cor pauido turbare metu, quum daemonas atros
Crura renidenti bombyce pedeſque coruſcis
Indutos ſoleis choreas agitare videres;
Quum picta barathri per moenia ſtructa papyro
Se nigra ſulphureo de pnluere flamma rotaret,
Et colophoniacos vomeret ſpecus alta vapores.
Ni tua traiecta radient mihi lumina nocte,
Has Erebi ſine ſole domos bis adire timerem;
Vt tamen accipias miſeri fata omnia Cypri,
Illum animi fidens mea trans Styga Muſa ſequatur.

Iamque

Digitized by Google

Iamque Charon Aeluri in litore conſpicit vmbram.
Gnarus, nunc tumuli dignatum corpus honore,
Appellit, furuamque iubet conſcendere cymbam.
Stridula trans fluuium ratis vltro fertur ad oram,
Horridus ante fores vbi Cerberus excubat orci.
Quando tergeminas ſenſit diducere fauces
Et latrare canem felis, retro exſilit ille,
Et fremit, et gibbo ſinuat curuamine tergum,
Triſtis vt ipſe Charon in riſum ſoluere rugas
Inciperet; Stygia ſed tandem exponit in vlua.
Raptim ſe triplici properat ſubducere monſtro
Subdolus, eque ſpecus euadens carcere Cyprus
Conſpicit igniuomum ſtrepitu Phlegethonta fragoſo
Torquentem ardentes in ſaxa ſonantia fluctus.
Aereaque hinc triplici circumdata moenia muro,
Et fixos ſolido ex adamante ad pallida poſtes
Regna videt. Superas ſtat ferrea turris ad auras,
Veſtibuloque ſedens cuſtos inſomnis in ipſo
Tiſiphone, ſi quis tenebroſa euadere clauſtra
Amens tentet, agit retro ac diuerberat hydris.
Hinc, quibus iſta ſonant loca, mugitusque gemeutum
Verberaque et ſtrepitum ferri, horriſonasque catenas,
Quas miſeri ſine fine trahunt, ſine fine luentes
Vltrices ſcelerum, Rhadamanto iudice, poenas,
Exaudit pauitans Cyprus. Stridente tumultu
Impulſi aerato laxantur cardine poſtes.

 Proruit

Digitized by Google

Proruit ardente Alecto face. Iamque prehenſum
Increpat, et collo ſatagit raptare retorto
Felem ad iuridicos, quum nota ſubiret imago.
Tune, ait, infelix vindictae victima noſtrae,
Opprobrii nobis facti audentiſſimus vltor?
Quae ſaeuas tormenta feras per ſaecula vexant
Ne videas, tibi grata dabo. Nam ſi qua cruore
Trux olim pauidos ſcelerauit belua ſaltus,
Vrſum hic, et tepido gaudentem ſanguine tigrim,
Ac Pardum regemque manet ſua poena leonem.
Dirus inexſtinctos lupus extorretur ad ignes.
It medios inter vulpes auidiſſima gallos,
Et capit, et tenuem nequidquam deuorat auram.
Quid regalis honos aquilam cunctoſque poetas
Praecones habuiſſe iuuat? Nunc abdita clathris
Candentis caueae, ſimul exſecratur inane
Laudantum genus, et laudum argumenta, rapinas.
Vt vero (numeris opus extricabile nullis)
Omnia poenarum depromere nomina poſſim,
Quas fera praedatrix, truculenta animalibus olim
Innocuis frugique luit? Tamen vrna timenda eſt
Non tibi, non aliis, quotquot genus omne nociuum,
Rodentes mures, atque angues, atque lacertas,
Erucaſque humiles et foeta phalangia viro
Vindice vel roſtro, vel dente, vel vnguibus auſi
Exſtirpare alacres. Lucis ſpatiantur opacis

Fortunati

Digitized by Google

Fortunati illi. Tamen inſonteſque trucidet
Gallinas, caueat felis, volucreſue canoras,
Ne ſubeat vulpis lugubria fata, lupiue.
Felicem te Diua monet. Sic protenus inſta,
Et iam, qua placidis habitata animalibus arua
Inuitant, en, perge viam. — Spectabile marmor
Sub tiliis amnem propter tibi, Cypre, lubentes
Cum fletu ſtatuent ſuperi. — Sic fata, relapſae
Pone crepant portae, et ſuper aerea clauſtra rotatur
Sulphureus flauo permiſtus fulgure fumus.

Inde datum molitur iter per opaca viarum
Acrior Aelurus, tenditque ad amoena vireta
Fortunatorum nemorum valleſque beatas,
Queis functa incedunt animalia mitia fato.
Hic ver perpetuum tepet; hic clementior aether
Solibus e placidis fluit, et ſuper aurea rura
Prodiga florigerum diffundit Copia cornu.
Perſpicuus leni per olentia prata ſuſurro
It riuus Lethes. Ex hoc animalia quaeque
Hauſtibus haud parcis ſecura obliuia potant,
Ingeniique ſtatim feritas mollita quieſcit.
Inſuper ad ſuperas rediturae luminis auras
His animae menſantur aquis. Canis vmbra meabat
Excubitoris, opum cui cuſtos commodet olim

Corporis

Corporis hoſpitium. Vates aliena crepantes,
Ac fatuos habitare ſophos tibi, pſittace, fatum eſt.
Paua ſuperbae animam dominae, vulpecula ſcribae,
Iudicibus corui debent, is vertitur ordo.
Parte alia Elyſios pax verque perenne per hortos
Libertaſque beat melioris originis vmbras.
Frigidulis per colla iubas criſpantibus auris,
Acer equus pede prata leui viridantia plaudit,
Hinnituque ſibi demtas gratatur habenas.
Floribus inſperſa bos otia nactus in herba
Stat, neſcitque iugum. Quae nunc ſua gaudia norunt,
Innocuae laetis inſultant collibus agnae,
Manſuetaeque ferunt et frugi praemia vitae.
Frondiferi pictis cantricibus vndique luci
Suaue ſtrepunt. Ramis colibrorum examina pendent,
Auri inſtar. Liquida promit modulamina voce,
Et late vmbroſos mulcet Philomela receſſus,
Qua teneri vates auſcultant molle querentem.
Litora certatim ſolis radiata volucris,
Aureoliſque nitens acalanthis atlantica pennis
Concentu reſonare docent. Sibi guttura large
Lethaeis humectat aquis, animumque ferocem
Exuit, ac mores Aelurus ſumit amicos.
Laetus in aprico recubat, gaudetque columbas
Impauidas veniſſe ſui, facilisque iocatur.

Imme-

Digitized by Google

Immemor indignae necis eſt, et corpore magno
Quondam miſceri, tacita ſpem mente ſerenat.

AELVRIADOS.

LIBER V.

E Stygii, Muſa, infernis regionibus orci
Ad ſuperas repetamus iter. Sique aurea ſolum
Saepe mihi potuit teſtudo fallere tempus,
Si facilis plauſum potuit meruiſſe Roſaurae,
Quidquid Ariſtarchus quidam, quid acutula forte
Femina, quid Bardus, frontem cui ſpiſſus opacat,
Spiſſus et in nodos collectus crinis adulter,
Opprobrio dicant, mota nihil accipe mente.

Iamque olitor Cyprum terra et naſcentibus herbis
Texerat, et qualis, magni quum funeris iuit
Exſequias, functus pompae dux munere ſyrma
Colligit, ac lento relegit veſtigia greſſu;
Talis et ille humeris, arma auxiliaria, palam
Imponens, tarda retro ſe mole ferebat.

Quo

Digitized by Google

Quo propius remeare videt, magis vda magiſque
Lumina ſuffundi lacrimis hera coepit obortis:
Nec flentem tulit, et pariter bonus ipſe rigauit
Ora ſenex. Tandem ſed moeſta ſilentia rumpens
Neptis, age, inquit, abi, Brachadipſo, fida Lycoris,
Officium Cypro factum heu! lugubre repende!
Dic violas legat, et manibus det ſpargere plenis!
Nec plura his, petaſoque tegens caput, atria tranſit
Cum patruo. Foſſam iuxta, quae circuit arcem,
Diſtinctae abietibus tiliae frondentia tollunt
Culmina. Radices argentea proluit vnda,
Nobiliorque animat viridantia brachia ſuccus
Maxima de medio ſublimi vertice caelum
Affectat; nemus vna, auibus venerabilis arbor
Sufficit hoſpitium, Circum ſuffimina ſpirant
Serpillum laetuſque thymus, creberque viretis
Stellatus lucet ranunculus, inter odoros
Mille alios flores, quibus arce feracior omni
Veſtit humum Natura parens. Hic condita Cypri
Membra iacent, tiliam iuxta, quae celſior vna
Aſſurgit. Tumulum mollis tegit vmbra ſilentem,
Ceu quondam, quum non conferta cadauera templis
Mortalem foetore luem poſt fata mouerent.

Dum

Dum loquor, huc aderant, Brachadipſus et ipſa
Roſaura
Cnm Rabano, et Lycida cum venatore Lycoris.
Ter violis replet inde manum, ter virgo ſepulcrum
Spargit, et illa ſuo dat dona nouiſſima Cypro;
Lunatumque niger Lycidas cornu exuit armis,
Funereumque melos ſiluis reboantibus edit,
Venantum vt mos eſt, leporem lugere peremtum.
Tnnc omnes vna clamorem voce moloſſi
Ingeminant, tectiſque ſuper vis magna catorum
Confluit, heu! miſere fidi de morte ſodalis
Exululans; tacita quum mente haec inter ouaret,
Ac feſtas murinum ageret genus omne choreas.
Deflectens tandem tumulo veſtigia neptis,
Ergo, ait, aeternum ſalue mihi, Cypre, valeque,
Arboreaque leuis cineri ſit terra ſub vmbra!
Ah! quianam Muſae mihi non per tempora laurum
Implicuere comis, nec habet vicinia quemquam
Aonios doctum numeros! Vehereris ad aſtra,
Seraque poſteritas legeret memorabile nomen!
Haec ait illacrimans, ſeque in penetrale recondit.

Sed pagum reſonante tuba mox peruolat omnem
Fama, atque aeditui tandem defertur ad aedes.
Adſtabant tunc coram, elementaque prima le-
gendi

Vocibus

Digitized by Google

Vocibus altiſonis clamabant ruſtica pubes.
Ipſe ſedet grauis adſpectu, ac ſi forte quis vnam
Peccet litterulam, titubet ſi lingua, repente
A ferula ſibi quemque iubet baculoque cauere.
Sed dea, ſic fruſtra tibi ſe, laus maxima Phoebi,
Famae materies et carminis offerat, inquit?
Sic elegis infleta ſines fata vltima Cypri?
Atqui tu reduces, Muſis plaudentibus, annos
Saepe ſalutaſti! Stant tecta atque horrea paſſim
Verſiculis inſcripta tuis! Cyprique moraris
Arguto ſolers titulo decorare ſepulcrum?
Sic dea Pieriis recaleſcere pectora flammis
Aeditui iubet. Exſurgit, mora nulla, fragoſo
Textilibus iuncis ſolio, datque otia turbae.
Ceu, canis anſeribus quando paſcentibus inſtat
Exagitans, voce ac pennis grex perſtrepit auras
Garrulus, et ſtagni aduerſa ſe condit in vlua:
Carcere ſic caeco puerorum exercitus omnis
Efferuet, patulumque ſimul procurrit in aequor,
Quo per inane hilari pila ſubuolat icta tumultu.
Aedituus vero ſudantem pone feneſtram
Faſcibus imperii baculo ferulaque refixis,
Iamque ſuus, pennam ſubito rapit ipſe potentem,
Diſtortiſque oculis, centumque ad tempora rugis
Inuoluens frontem, preſſo demurmurat ore,
Multa putans, ſociatque ſonos. Ter humi abiicit exſpes

Semeſum

Semeſum calamum, ter Muſas euocat omnes
Ac Phoebum te, Alere, ſuum. Mox alite ſaltu
Tollitur, ac laetos capiens vix mente triumphos,
Parietibus tacitis declamat flebile carmen.
Muſa, age, ſcis etenim, niſi te vel tinnula terrent,
Non huius cupidam cultus, crepitacula vocum,
Vel diſpar numerus, titulum deprome ſepulcri!
Talis erat:

Hic ſitus eſt felis Dominae ſine fine fidelis,
Quod ſierique ſolet, pulcra Roſaura dolet.
Heu! qui tot fures cepit, mihi credite, mures,
Hunc, quae cuncta rapit, mors violenta capit.
Hic iacet, et bellos numquam reſerabit ocellos!
Ergo, Cypre, iace! Tu, mea Muſa, tace!

Quis? Bauius Gluſtos, templi pro tempore cuſtos.
Quid? melos hocce meae do, dico, dono Deae!

Vt circumpicta lugubri margine charta
Aureolos ſcripſit verſus, dextraque fabrili
Emtos diſpoſuit prima in ſtatione capillos.
Mox arcem ſublimis adit, dominamque ſalutat,
Et partum, alterno crepitans pede multa, propinat.
Accipit arridens virgo, Cyproque merenti

 Ponam

Digitized by Google

Ponam, ait, et memori ſignabo carmine ſaxum;
Hoc ſaltem officio caſum ſolabor acerbum.
At vati ramoſa annixos abiete binos
Largior Hercyniae Siluanos grata Monetae.
Sic hera. Praxiteles pagi iam iamque vocatur,
Et picturato verſus in marmore ſcribit.

In tumulo nunc vſque iacet. Quem ſaepe frequentant,
Qui peregre veniunt, Mauſoleumque ſuperbum
Externis longe fama celebratur in oris.
Sic alta Aelurus, iubar ipſe, perambulat aſtra,
Seraque poſteritas leget indelebile nomen.

E vernaculo Zachariae latine vertit
AVENARIVS.

AD

Digitized by Google

AD

SODALES ACADEMICOS

IN DISCESSV

ROBORETO VINDOBONAM.

O quos in patrio, diisque amato
Lemi littore, roboris ſub vmbra
Florentis, prope ſuſpicit Tyrolis
Suas delicias, ſuosque ocellos,
Ludentes cithara; quibus diſerta
Jouis filia et Atticos lepores,
Et cum molliculis metris Etruſcis
Latinas veneres dedit benigne;
Vobis, quum me hodie ſedere veſtro
In coetu ſuperi annuant fauentes,
Aequum eſt dicere, quas magis referre
Gratias cuperem ipſe iam ſodalis,
Sane nec nimium ſciens latine, aut
Graecis literulis ſat eruditus,
Nec Thuſcis ſalibus nimis politus;
Verum quem voluiſtis obtinere
Locum in coetu hominum venuſtiorum;

Digitized by Google

Si veſtro in gremio frui liceret
Receſſu, atque ſequi tam amica Muſis
Otia, o mihi quae beata vitae
Forent tempora! dum politiores
Ciues inter ego ſacram quietem
Sectarer, ſtrepitu tumultuoſae
Vrbis, quae vocat hinc, procul relicto,
Vos ſolas, Heliconiae puellae,
Sacro ſemper amore deperirem.
Quam laeta acciperem aure concinentum
Vatum carmina, ſeu ſeuerioris
Inſtituta ſcientiae, ducumque
Magnorum incluta geſta, ſeu latentis
Naturae ingenium, arduaſque vires;
Et quidquid veterum docent magiſtrae
Aeuorum hiſtoriae, ſacriue ritus.
Sed veſtro procul hinc ſuas ad oras
Iſter me vocat ex ſinu, Sodales!
Auguſta et domina hoc iubet. Valete.
Vnum quod ſupereſt, deos, deasque
Vrbis Roboreae, huius ac amicae
Bene vt ſit genio domus, precabor.

Ios. a Sperges.

AD

Digitized by Google

AD VIRGILIVM MARIAE THERESIAE AVGVSTAE.

Deniſium dederunt Auguſtae fata Maronem,
Ne minor Auguſto magna Thereſa foret.

IDEM.

CVI SIC RESPONDIT CEL. DENIS:

AD AVCTOREM.

Auguſtus quantum cedit virtute Thereſae,
Dotibus ingenii tantum ego Virgilio.
Si tantum, quantum tu Maecenatis, haberem
Virgilii, fatum cum Domina effugeres.

Digitized by Google

CARMEN GRATVLATORIVM
AD
COMITES DE EINSIEDEL
ET
DE LANGENAV.

Cum anno cıↄIↄccxc Comitia maiora in Luſatia ſuperiore (*den groſen Bewilligungs-landtag*) haberent.

Qualis triſulci fulminis impetus,
Quem ſulphuratis foeta vaporibus
Pinguemque pabulata terram
Nimbiferis alit aura ventis,

Caliginoſo cum ſemel excidit
Immurmurantum carcere nubium,
Per fornices coeli nigrantes
Lethifero minitatur igne;

Coeli

Digitized by Google

Coeli tumultum et ſaeua tonitrua
Exhorret orbis, corda metu micant
Mortalium clades timentum
Et domibus ſubitas ruinas:

Talis Gradiui nuper inhorruit
Circumſtrepentis terrificus fragor:
Gentes tremebant, ne cruento
Omnia corruerent duello.

Vallo minaci cincta Sileſia
Armis tumebat; milite perſtrepens
Bohema tellus et Moraua
Fulmineos acuebat enſes.

Circumfrementis murmure bellico
Formido Martis nos quoque fregerat;
Oblitus, heu, curae paternae,
Quam patriae *Pater* atque *Cuſtos*

Auguſtus alto pectore conditam
Premit, ſalubris conſilii ferax,
Belli furores expaueſcit
Corde nimis trepidante Saxo.

Digitized by Google

Auguſtus almo nos beat otio!
Huc omne principium, huc refer exitum,
Quae crinibus myrto reuinctis
Muſa modos properas canoros,

Hoc Spreua fertur, caeruleas comas
Dùm ſorte aprico margine pecteret,
Cantaſſe nuper; nos decebit
Fatidicos iterare cantus:

„Quicunque ripas incolitis meas
Quid veſtra terror pectora perculit?
Pax ridet opportuna veſtris,
Principis ad pia iuſſa, terris.

„At Vis et ater Luctus et horridis
Stipata centum Bella cruoribus,
Curaeque, pallenteſque Morbi et
Terribili atra Fames hiatu

„Ceſſere retro Tartaream in ſpecum;
Fruſtra minatur miles; et aſpera
Rubigo, lento dente rodens,
Fatiferos gladios retundit.

„Quocun-

Digitized by Google

„Quocunque flectit prouida lumina,
Componit alta mente negotia
Auguſtus, et cura ſagaci
Legibus inuigilat ſacratis.

„Budiſſa, terrae Luſaticae decus,
Sublimis effer turrigerum caput,
Ridente reſplendeſce vultu,
Nectere flore comas memento!

„Adſunt ab aula Principis Optimi
Splendore auito conſpicui Viri,
Quos miſit *Auguſtus* ad amplum
Luſatici populi Senatum.

„Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompae? Iam videor pios
Audire plauſus, iam frementes
Laetitiae ſtrepitu cateruas.

„Aduentat agmen; denſum humeris premit
Vulgus morantes; ordine duplici
Dextraque laeuaque in plateis
Turba ſtupens hiat ore aperto,

Digitized by Google

„Spectatque vultus magnificos Virum,
Hic *Einſideli*, *Te* memorat prius
Veniſſe legatum huc, at ille
Ora notat *Tua*, *Langenaui!*

„Heu digna priſco nomina ſeculo,
Magnasque in ipſis conſcia vultibus
Portare mentes! quae ſereno
Dulce micans ſedet ore virtus!

„Quae proſequentis gratia dexterae,
Qui candor alti proditor ingeni,
Saluaque maieſtate blandum
Alloquium, placidique mores!“

Hos Spreua fertur veridicos Dea
Fudiſſe cantus, et vitreis caput
Dum mergeret formoſum in vndis,
Laetificos geminaſſe plauſus.

Praeſaga Diuam carmina conſciis
Fudiſſe fatis iam docet exitus.
Iam Principis iuſſa adferentes
Luſaticum exhilarant Senatum.

Iam-

Digitized by Google

Iamque ipſa labens aethere Fauſtitas
Fraudiſque vindex cana Fides nouum
Seclum reducent; atque in omni
Alma Ceres fluitabit aruo.

Iam ſedularum Pieridum cliens
Mentem decoris artibus excolet,
Phoebique cultus promouebunt,
Alma Budiſſa, tui Patroni.

Quo, Spes, inani me rapis impetu?
Quid, Muſa, ludis? quidquid id eſt, tamen
Me vate mox florebit aetas
Aurea Luſaticas per oras.

C. A. Boettiger.

Haec

Digitized by Google

CONIVGE FATO EREPTA

INTER

ADORNATVM SECVNDIS CVRIS TIBVLLVM.

Haec ego ludebam, certi dum foedere amoris
 Iuncta mihi amplexus, Delia caſta, dabas.
Dulce erat, ex tuto iuuenum ſpectare labores,
 Quaeque alios torquent, ſaeua in amore mala.
Sic ego felicem ſperabam extendere vitam,
 Illius inque ſinu fata videre ſenex.
Nunc illa, heu, petiit ſua ſidera; et oſſa ſepulta
 Noſtrae vrgent lacrimae, perpetuusque dolor.
Nunc luſiſſe piget, de teque, Elegëia mollis,
 Hoc vnum, quod ſis fletibus apta, placet.
At tu, felices melior quos copula amantes
 Iunxit, adi, et fauſto te abde, Tibulle, ſinu.

d. VIII. Octob. CIƆIƆCCLXXVI.

CHR. GOTTL. HEYNE.

AD

Digitized by Google

AD TVMVLVM

IOSEPHI SPERGESII

PALENTINI.

Tu quoque, *Spergeſi*, antiquae virtutis imago,
Ire iubes triſteis flebilis exequias,
Cui pietas, doctrina, fides, prudentia, morum
Candor, et integritas quando parem inuenient!
Te puerum ſacris Muſae lauere fluentis,
Inuidit Muſis alma Themis iuuenem.
Tu tamen, vt primum toga erat tibi ſumta virilis,
Riualeis noſti conciliare Deas.
Hinc monumenta tibi populorum cuncta patebant,
Et quidquid priſca traditur hiſtoria,
Quodque recens faſtis per genteis condidit aetas,
Hinc tibi fons latii limpidus eloquii:
Vtilis hinc opera exactos ſine labe per annos
Et patriae, et diuis praeſtita Caeſaribus.
Haec immatura ſibi funera rapta, Vienna,
Haec tua Tyrolis deflet, et Inſubria.
Nos quoque, ſincero caros quos corde ferebas,
Flere iubet ſanctae nomen amicitiae,

Atque

Atque inter gemitus ſupremum voce vocare
Addite *Spergeſi* candide caelicolis!

DENIS.

AD
SCHMALZIVM
RECENS MARITVM.

Virgine mas gaudet, mare virgo. Quid, *optime Sponſe*,
In cauſa eſt? Cauſam diſcere forte iuuat.
In promtu cauſa eſt. Sed enim Tibi fabula, luſus
Quae turbet Veneris, ſat ſcio, nulla placet
Pauca tamen referam. Tu, *Vir Doctiſſime*, cuncta
Fontibus ex ipſis largius hauſta petes.
Coſtam (quis neſcit?) Paradiſo amiſit Adamus,
Dum dulci ſtertens membra quiete leuat.
Hanc Deus exemtam latere abſtulit: inde puellam
Condidit, vt ſocio viueret apta viro.
Apta viro, quia coſta viri, quae foedere certo
In proprium veniat reſtituenda locum.
Ergo, quod amiſit, vir quaerit; femina gaudet
Amiſſae coſtae participare vices.

Vera

Digitized by Google

Vera loquor, neque Tu veriſſima, *Sponſe*, negabis.
Exemplo conſtant haec mea verba Tuo.
Annon, Oppachium quoties iter ante parabas,
Cura Tibi coſtam quaerere ſola fuit?
Vixque ſalutaras fidum veteremque ſodalem,
Ingemis: „heu ſurdo membra dolore ſtupent!
Me quamuis pleno perfundat Copia cornu,
Inque ſuo portu nauiget vncta ratis;
Nil tamen exhilarat miſerum: nam ſentio demens
Rebus neſcio quid ſemper abeſſe meis"
Molliter arridens regerit Tibi *Pietſchius*: „eheu!
Ceſſator, coſta eſt inuenienda Tibi!"
Forte ſtruens menſis genialia fercula coniux
Adſtitit; in tacito riſit et illa ſinu.
Oſcula delibans vxori affatur amicum
Pietſchius: „haec praeſens eſt medicina mali!"
Iamque lubet cunctas penitus perquirere terras,
Dum Tibi, quam velles, coſta reperta foret.
Eſt prope, cui veteres fecerunt nomina patres,
Sohlandum. Sprevus pinguia rura ſecat.
Huc tuleras greſſus. Vitreo de gurgite Nympha
Fertur arundiferas exſeruiſſe comas.
„Heu, quo tendis, ait, vecors! hic meta laborum eſt.
Hac latet in villa coſta petita Tibi!"

Atque

Atque inuenta Tibi eſt. Inuentis vtere. Nullus
Sit Tibi quaerendi, qui fuit ante, labor.
Hanc alacer coſtam cape, *Sponſe*, tenacibus vlnis
Et bellis belle fige labella labris.
Nectar id eſt, quo vel ſaturari Iupiter optet,
Aut qui riualis geſtiat eſſe Iouis.
Num differs? differre nefas haec gaudia vitae,
Concordes taedae qualia multa ferunt.
Nota loquor, ducis Sponſam, quam mille puellis
Moribus et forma praepoſuiſſe decet.
Haec Tibi, ſi venies hiemalibus imbribus vdus,
Siccabit veſtem et baſia blanda feret.
Saepe reuertenti teneras Tibi porriget vlnas,
Vt foueat tepido frigida membra ſinu.
Quas noſtris quondam aduexit Nicotius oris,
Fumificas herbas ſuggeret ipſa Tibi.
Ipſa nigri laticis blando repleta liquore
Vaſcula ſorbendo porriget apta manu.
Inque locum dulcis, quem mos iubet addere, ſucci
Figet nectareis oſcula inuncta fauis.
Nulla quies famulis, pars verrit limina, lanas
Pars trahit, aut glomerat pollice fila leui.
Ipſa praeeſt operi, nec opus fugit ipſa, miniſtrae
Nullius et vinci ſedulitate poteſt.
Dum Muſis vir ſacra facit, colit illa Mineruam,
Artibus his coniux coniugis auget opem.

Nec

Nec deerunt caſti dulciſſima pignora lecti,
Sed grex paruorum perſtrepet vſque domo.
Saepius et ſimili faciet Te prole parentem
Filiolos pariens, filiolasque patri.
Felix, qui tali potuit ſe iungere coſtae!
Vix vni e centum contigit illa viris.

C. A. Boettiger.

CONIVGE
AD
RECVPERANDAM VALETVDINEM
AD TERRAS RHENANAS PROFECTA.

Obſequio et caſta coniux mihi mente probata,
Corpore et ingenio fauſtaque prole parens:
Dotibus heu tantis vtinam ſe adiungeret vna,
Qua ſine certa ſatis nulla alia eſſe poteſt!
Corpore ſis valido, vigeantque in corpore vires,
Cumque illis redeat mentis et ipſe vigor!
Me miſerum! adſpiciam hoc caſti ingenuique pudoris
Pallore et lenta tabe perire decus!

Digitized by Google

Vna mille mihi mortes in morte parantur.
Quid merui vt me vnum ſpicula mille petant?
Nunc illa (heu ſine me!) vernales imbibit auras,
Rheno iam propior qua Nicer arua rigat.
Vos, Zephyri, quos Flora ſalubres halat, odores
Afflate, atque aegram ſpe recreate animam.
Vna anima recreate duo. Trahet illa ruina
Me quoque: cuncta domus, ſi cadit illa, cadet.

d. XXI. MAI. cIↃIↃCCLXXXV.

C. G. HEYNE.

SOTERIA.

Audierat vix fuſa ſui moeſtiſſima vatis
Cum gemitu ac lacrimis carmina mixta deus.
„Hanc, miſeratus ait, fatis ego, flente marito
„Hanc ſinam, adhuc aeui flore tumente, rapi?
„Non ideo Paphie tribuit ſua munera, Pallas
„Artes, non ideo plectra lyramque dedi.
„Quam toties noſtras animantem pollice chordas
„Mirabar, doctis mixtam Heliconiaſin,
„Attonitae quoties laudum ſplendore decori
„Alternis canerent vocibus acta Viri,

„In-

„Inſererentque Heyni ſtellis decus, vnde priorem
„Thracia concentum redderet icta chelys.
„Non tantum induerint fata inuida crimen, vt, orbus
„Parte ſui, nigros moereat ante rogos.
Delius haec: motoque gradu ter, ſubſtitit, aegrae
Praeſentem praeſens exhibiturus opem.
Herbarumque potens ſuccis melioribus artus
Erigit, ac mentem ſuſcitat igne nouo.
Ipſa deo famulata cohors madidantibus alis
Adſtrepitat Florae depopulata ſinum,
Languida nectareo pertingens membra liquore,
Pallidaque infeſta corpora tabe leuans.
Ilicet aegra fugit macies, nitidusque iuuenta
En redit, in facie qui fuit ante, decor.
Nectite iam laetis, Parcae, noua licia telis,
Iam totum ex auro textile ſurgat opus.
Soſpes vt extremos vitae perduret in annos
Hoc fidi exemplar nobile coniugii.
Vtque nouae laetata domus fundamine prolis
Nominis aeterno robore perſtet anus.
Haec ego vaticinor fatis data; praeſcius aeui
En mouet intonſam Phoebus Apollo comam.

PRENTZELIO

Quaeſtori Reipublicae Budiſſenſis, et Mercatori locupletiſſimo, quinquaginta abhinc annis Budiſſam commigranti, quum, laeta liberorum nepotumque turba ſtipatus, memoriam huius aduentus ſemiſecularem celebraret. A. d. 30. Iun. 1791.

Fortvnate senex, ciuem, mirabile dictu,
Te luſtris fouit clara Budiſſa decem.
Hinc animo qnoties vrbis Tibi fata recurſant,
Filius in promtu eſt, eſt pater, eſt et auus.
Nam qui, cum peteres noſtros nouus aduena muros
Vagiit in cunis, nunc memoratur auus.
Pauper eras quondam, noſtrae cum tecta ſubires
Vrbis; nunc opibus villa domusque nitent.
Solus eras quondam; nunc Te pia turba nepotum
Luſibus exhilarans nomine patris adit.
Qui ſenio et meritis ciues ſupereminet omnes,
Hunc merito Patrem tota Budiſſa vocat.

C. A. Boettiger.

IN

Digitized by Google

IN GYMNASII HENNEBERGICI

FESTO SECVLARI SECVNDO.

Extollent alii laudibus inclytis
Ad ſummum patriam quiſque polum ſuam,
Iactabuntque placere
Solam prae reliquis ſibi.

Laudabunt celebres Hellada Rhetores,
Vrbis Romuleae moenia Tullius,
Et Siren Venuſina
Rus laetabile Tiburis.

Effer liligerum, Francica gens, decus,
Effer Verſaliae delicias tuae:
Et tu, docte Britanne,
Herboſum Thameſin refer.

Digitized by Google

Me quamuis Philyre, percupidum ſui,
Dudum docta ſacro contineat ſinu,
Et ceu mater alumnum
Exornarit honoribus,

Maiori tamen ad te rapis impetu,
Semper-dulce ſolum, vallis amabilis,
Vitae grande dediſti
Quae munus puero mihi.

Te noctu mea mens deperit ac die:
Te, non vltima pars Teutonici ſoli,
Te, Franconia, quis non,
Cum te viderit, ardeat?

Hennebergiadum terra, caput leues:
Cui non et pietas cognita, et integra
Mens, candorque tuorum
Ac ſollertia ciuium?

Horum Daedaleis plurima millia
Telorum manibus cuſa minantium
Quae non vidit et vſa eſt
Europaeque Aſiaeque gens?

Nec

Digitized by Google

Nec te Pieridum ſacra minus tenent:
Pacatis etiam dedita es artibus,
Et foecunda virorum
Clarorum ſapientia.

Hoc, Schleuſinga, tibi praecipuum decus,
Quae pridem ſolitum Gymnaſii tui
Non ſeruas modo florem,
Verum auges etiam indies.

Quot, quam nobilium ſuauiloquens virum
Doctrina, ſtudiis, ingenio, cohors
Omnes orbis in oras
Iſta prodiit e ſchola!

Et me ſaepe tuo, dulcis in Schola,
Imberbem memini ſedulum in angulo,
Summi dia *Maronis*,
Flaccique aurea carmina

Voluentem, et numeros *Klopſtockii* ſacros,
Et, *Gellerte*, tuos, nocte ſilentii
Plena fundere ocellis
Prae dulcedine lacrimas!

En

En quondam gremio ſepoſitus tuo,
Nutritusque tuo nectare largiter,
Cultorumque tuorum
Iam non vltimus, en ego,

Dum lapſi renouas gaudia ſeculi,
Iuſtae laetitiae vocem hodie tui
Exſultantis alumni
Feſtis inſero cantibus.

O creſce, o cumula ſecula ſeculis,
Ter fauſtosque dies candidioribus!
Doctorumque bonorum
Semper ſit tibi copia!

Sis Troianus equus, ſis patriae ſolum
Foecundum ingeniis, hortus amabilis,
Gemma illuſtris, et iſtis
Si quidquam eſt pretioſius!

cIↄIↄCCLXXVII I. G. Eccivs.

Caeſa-

Digitized by Google

VIRGILII EDITIO ALTERA
SERENISSIMIS
M. BRIT. PRINCIPIBVS
IN GEORGIA AVGVSTA DEGENTIBVS

INSCRIPTA. CIↃIↃCCLXXXVIII.

Caeſaris alta domus quem, Caeſar et ipſe, probauit:
    Quem vatem coluit maxima Roma ſuum;
Cuius diuinum carmen, ceu fonte perenni,
    Senſibus ingenuis pectora veſtra rigat:
Guelfica progenies, fauſtis penetralibus orta,
    Hic audet veſtras veſter adire fores;
Proque vno Aſcanio ternos miratus Julos,
    Quos aluit magnis Inſula feta viris,
Ingemit, et, veſtrae cur non in tempora famae
    Vt ſeruarer, ait, fata dedere mihi!
Magnanimum iuuenum licuiſſet facta videre
    Fortia, nobile epos ſurgeret vnde mihi.
Non tamen a lauro venit omnis gloria; laudem
    Non minus aeternam Palladis arbor habet.
Frontibus hinc veſtris aeterna innectite ſerta.
    Pulchrius ah docta nomen ab arte venit!
Tunc ſibi, tunc nutrix Auguſta Georgia plaudet.
    Hoc decore, hoc maius tempora nulla dabunt.

Chr. Gottl. Heyne.

DE

INSTITVTIONE PVERILI

SERMO AD

LVDOVICVM MALEGVZZIVM.

Hocne dabis, Ludovice, tua cum coniuge, poſtquam
Nulla poëtarum iam vox ſonat, vltimus vt vos
Adloquar, ingenio minor et ſermone, ſed idem
Conſilio haud impar, veri nec futilis auctor?
Viuite felices, ſancto quos foedere nuper
Iunxit amor, prolemque breui date: non decet eſſe
Tam clarum genus et nomen ſine prole, parentum
Virtutes, et magnorum quae reddat auorum.
Sed neque vos doctis excultos artibus olim
Sponte tulit natura, neque hunc feret, e gremio qui
Matris in amplexus mox paruulus ire paternos
Diſcet, voce patrem compellans. Scilicet omnes
Vt doctrinae, ſic morum expertes inopeſque
Naſcimur, et curae nemo non indiget: aetas

Prima

Prima tamen patiens culturae, cerea flecti
Quolibet, atque omni, quam das, obnoxia formae.
Ergo animum primis pueri inſtituiſſe ſub annis
Ipſe velim, paruus muliebri ludere palla
Ante domi quam deſinat, atque crepundia ponat.
Tum rerum primis elementis imbuitur mens,
Tum primum recti docilis prauique, magiſtros
Et bona monſtrantes et quae nocitura, ſequatur.
Sed bona quae puero ſint, vix erit vnus et alter
Nauus qui doceat: mala contra et praua magiſtri
Hunc totidem docuere, domi quot vernulae, et ipſa
Nutrix, ac cellae cuſtos longaeuus herilis;
Qui dum blandiri puero, et munuſcula certant
Parua dare, auertunt quae deteſtatur, amico
Ludere cum verna patiuntur, triſte precantem
Mendico irritant; iratoque oſcula figunt:
In vitium iam pronus abit, creſcitque cupido
Mox ficti prauique tenax. nam vera loqui me,
Exemplo ſit equus, ſerum multa arte magiſter
Fingere quem dura tentat ceruice, ſed omnes
Cui pereunt curae: repetet nam prata, nec vſquam
Aut onus accipiet dorſo, aut dominum feret armo.
Iuſſit Areopagus multari morte puellum
Impubem: quae tanta admiſſa piacula, quaeras.

Fabula

Fabula non longa eſt: auibus male laeuus, alauda
Seu turdus, ſi forte daretur, ſiue coturnix,
Effodere ille oculum miſeris vtrumque ſolebat,
Supplicio gaudens crudeli, cetera mitis.
Deuotum eſt morti pueri caput: hunc fore namque
Cecropii duxere patres, ſi accederet aetas,
Ciuibus et patriae faceret qui talia multa.
Exiguum nihil eſſe putes, ſi creſcere poſſit.
Principiis obſtandum, ipſos vellenda ſub ortus
Germina ſunt ima ex radice: hoc fingere mores
Atque mederi animis et mentes flectere tempus.
Qui prope iam grandis vixit ſine lege, labori
Adſuetus nulli, nullis atque artibus, et iam
Dicta ſenum ridet, cenſorem ſpernit amicum:
Crede, nihil meliora docens hunc flectere cura,
Aut ſtudiis valeat rebuſque incendere honeſtis.
Peccat ſaepe pater, matercula peccat auusque,
Indulgent puero quum ſingula, nilque negant, quae
Poſcere multa die iuſſit damnoſa libido.
Vt qui maiorem faciunt ratione mala rem,
Neſciuere modum legemue; ita filius exlex,
Quod ſemel impetrarit, idem bis terque rogabit,
Mire animum ſtimulante cupidine, quaeque libido eſt,
Impune eripiet, matre inuita atque parente.
Vidi olim puero molles ſupponere plumas

Qui

Digitized by Google

Qui poſſet, magnam et lucis qui ſtertere partem
Sponte daret: primaeque idem per tempora brumae
Cingere villoſo ter pectus gauſape, et idem
Aeſtate adſuetus ſoli ſubducere, ne vis
Acrior agreſtem ſuffunderet ore colorem,
Anne his Auſonia olim in magna educta iuuentus
Deſidiis, vel quam veteres, ſi credere verum eſt,
Durauere gelu, vel quae poſt creuit in vrbe
Romanis pubes ſub patribus? omnia docta
Temnere, hyperboreum frigus, momenta leonis,
Puluerem et adſiduos imbres: tractare ſagittas
Atque trochum, diſco certare, ligonibus arua
Rumpere, falce vlmos vitemque putare. parentes
Ipſi opus atque artes primi oſtendere vetuſtas,
Scilicet Etruſcis quondam quae gentibus, et quae
Ante Remo fratrique et auis placuere Sabinis.
An te quaeſitum, Quinti, quos patria miſit,
Inuenere tuo ceſſantem rure? colonos
Imo inter duros tum forte bipaſia tractans
Dictator foſſam fodiebat; cumque marito
Solibus vſta aderat Racilia: quae ſimul audit,
Legatos Roma aduentare, togam ocius affert
Laeta viro tuguri raptam de culmine, nuper
Margine quam Tibris lotam ſiccabat. in Aequos
Hinc ferus abſterſo dux puluere Quintius ibat,
Ibat colla iugo certus ſubmittere. tales

Scipi-

Digitized by Google

Scipiadae belli duo fulmina, Mummius atque
Cunctator Fabius, denſis qui ſaltibus olim
Matris ad arbitrium caedebant ligna, laborum
Et brumae atque famis patientes: his tamen aucta eſt
Res Romana, ruit Carthago, exciſa Corinthus:
Haec pubes dirum Hannibalem Antiochumque cecidit
Ingentem, haec vaſtum infecit mare ſanguine Poeno.
Sed neque maiorum fortiſſimus ille tuorum,
Threiciae quondam Naupacti ad littora claſſes
Quem ſenſere grauem; aut acres aequiſſimus vnus
Imperio Ligures qni rexit, quique ruentem
Conſilio patriam iuuere et fortibus auſis,
Hoc vixere modo, qui nunc placet atque probatur;
At pueros vitiis qui perdidit atque iuuentam:
Perniciem domibus ſeriſque nepotibus aeque
Laturus, mores dum corrigat, extorremque
Deſidiam pellat grauis auctor, primus auitas
Artes qui reuocet, curas et reddat honeſtas.
Mirer ego pueri ingluuiem, ſi opſonia captat,
Ducitur aut libo fumante, pater modo quum ſit
Ipſe prior dapibus natum cariſque placentis
Paſcere, aues ſuetus coenanti et paſſeris atque
Rhombi

Digitized by Google

Rhombi porrigere ilia, vinum et trans mare natum?
Sudando pueri mihi pulmentaria quaerant:
Caſtaneae molles et olus, potiorque placentis
Latrantem ſtomachum panis bene leniat: ora
Monticolae vt pueri niteant, nec pallidus illis
Vſque color, dubia veluti deſurgere coena
Harpyis ſimiles paraſitos ſaepe videre eſt.
Non ego nunc morem, Lacedaemone qui fuit olim,
Iam reuocare parem, tigno vt ſuſpendere panem
Te iubeam, et iaculo pueros certaue ſagitta
Deieciſſe, famem miſeri mulcere, ruentem
Qui ſtomachum fulcire velint, hoc ſanus amicum
Ipſe patrem optarim nulli concedere partas
Absque labore dapes: ſudet puer, algeat, inſtet
Sedulus ante operi: praeſcripta ad munia primus
Matutino idem ſurgat cum ſole: precari
Multa Deum diſcat, praeſenti numine vti ſe
Soſpitet atque domum: clauſis vicina gregales
In foribus ſocii nequicquam ad ludicra tardum
Inuitent: procul hinc penetralibus abditus altis
Conficiat penſi quod habet: tum denique menſae
Hunc liceat tecum conſidere, deſidioſus
Si nec ceſſauit correptus voce magiſtri,
Nec libum depſit, nec clauſa armaria laeſit.
Mitte leues curas: nati ne abſumere fruges

Venimus

Digitized by Google

Venimus in lucem, et fruſtra ſublimia nobis
Ora dedit natura, aut caeli templa tueri?
Eſt animus puero diuinae particula aurae:
Hunc colito, hunc totam merito ſibi poſcere curam
Crede pater. nam quae auro diuitiisque parandis
Multa diem noctemque impenditur, alter in vrbe
Ne ſit, nummorum plures qui ſeruet aceruos;
Sedula quamque parens adhibet, ne pulcrior alter,
Comptior aut nato media ſpatietur in vrbe;
Non animum ditat, vitium non, ſi latet, aufert.
Nempe illum ſapere, et natis bene conſulere aio,
Cui mores pueri, potiorque vel vna videtur
Et ſpecie virtus et forma; nam mihi ſane
Therſites malo ſit filius, intus Achillem
Si virtute refert, Nireus quam vel Ganymedes,
Turpis at introrſum, et pulcrum ſine pectore corpus.
Atque illum ſapere, et natis bene conſulere aio,
Cui mores pueri potiorque vel vna videtur
Virtus eſſe, quam opes, quam praedia: nam mihi ſane
Irus egens malo ſit filius, Irus Vlyſſem
Si virtute refert, quam Croeſus ſiue Midas ſit
Diues opum, ſtolidi aſt aures indutus aſelli.

S. A. Morcelli.

SORS

Digitized by Google

SORS TANTALI.

Olim, *παλαιὼν ὡς' εχει βροτων φάτις*,
Inhiaſſe fertur arboribus gementibus
Honore ruris improbus Pelopis parens,
Zephyris eas et hinc et hinc prementibus
Luſu maligno ad oris vſque ſpiritum:
Mox, vndae medius, aridis vagum labris,
Orique proximum, vt ſitim retunderet,
Petiiſſe flumen irrito conamine.

Miſera illa Tantali ſitis, quis hoc negat?
At tu miſerior, o ſiniſtro Apolline,
Diaule, nate: quum, ſitim quo repleas,
Abunde ſuppetat tibi, vel ſic tamen
Vix ſumma lambis fontis Aonii, at tibi
Videris heluando, foeneum caput,
Traxiſſe *αμυστι* doctae nectar vngulae;
Crepasque nil niſi abſona, et ſtolide euomis
Iterum, cate quae dixerant ſophi prius.

Ideo hunc Apollo Parnaſſi pepulit iugis
Geminumque tempus extulit micantibus

P Pinnis,

Digitized by Google

Pinnis, hiatu quae abderent patulo ſonum.
Quaeque admonerent quemque, vt effugeret ferum.
At iſte laetus hocce Dii boni! malo
Superbius caput mouere, et horridas
Ciere voces; donec excitus ſono
Facieque monſtri territus Tonans Pater
Formam abſtulit miſertus, ora colligans
Pedesque, inanem vt eximeret ſuperbiam,
Tineamque fecit. Hinc prius ingenium tenet
Veteremque morem adhuc latens animalculum,
Quo ſumma quaeuis ore parco commolit,
Vorans vomensque rubricas, et indices.

Carmen hoc, quod Archilocho quidam tribuunt, latine vertit

Blaxiptolemon.

Digitized by Google

AD

VIRVM ERVDITISSIMVM

FRID. GOTTL. BARTHIVM

LYCEI, QVOD PORTAE FLORET,

RECTOREM MERITISSIMVM

Non mea, Coryciis qui ſpumeus exſilit antris,
Enthea Caſtalius proluat ora liquor.
Nec te, Phoebe, vocem, nec vos in carmina ſupplex
Sollicitem, Aonii turba nouena chori.
Ipſe ego ſufficiam, ſatis ipſe, recondita grati
Pectoris expromens ſenſa, diſertus ero.
Dum contacta tua mens haeret imagine, dumque
Secum agitat, quanta finxeris arte rudem:
En ipſa in numeros, nullo quaeſita labore,
Sponte ſua coeunt verba ſoluta ſuos.
Tu, ſtudioſe mei, dexter vernantia, Barthi,
Rexiſti aetatis tempora prima meae.
Raptaſtique gradu maiore altiſſima Pindi
Per iuga anhelantem currere laudis iter.

Digitized by Google

Dumque acer monitor „*dele iſta, haec corrige ſodes,*
Haec depreſſa nimis, grandius illa ſonant",
Varus * vti, inſtabas, eadem mox reddita torno
Gaudebas facie laeta nitere noua;
Dumque per Auſonios, cultiſſima iugera, campos
Ducebas, diues quaſque alit Hellas opes,
Maeonio liquidos hauſtus de fonte propinans,
Attonitiſque animis *Arma virumque* ciens:
Ingenium mira coluiſti ſedulus arte,
Corda boni ac veri ſenſibus exacuens.
O tanto gratare viro tibi, Porta, miniſtro
Quo decus antiquum, quo tibi partus honos.
Vos quoque, qui Muſis tanto auſpice rite litatis,
Vobis, o Iuuenum, plaudite, lecta cohors.

* *Horatius A. P. 438. ſeqq.*

AD

AD

IOHANNEM GODOFREDVM HERMANNVM

THEOLOGVM SAXONIAE PRIMARIVM.

Magne loco, FAVTOR, titulis et honoribus amplis,
Maior et ingenii bene culti diuite vena,
Maxime ſed priſca mentis virtute fideque,
HERMANNE, en! tandem doctrinae, rite fauente
Numine, iam doctor quinquagenarie ſanctae,
Si lubet atque vacat (quidni lubeatque vacetque
Hocce die, quem, ſi qui *Te* venerantur amantque,
Concelebrant votis, memorique in pectore condunt?)
Cultorum permitte mihi iam, quaeſo, *Tuorum*
Non ſane extremo, cui tot non falſa fauoris
Propenſi nullo non tempore ſigna dediſti,
Cuius et eſſe aliquid nugas aliquando putaſti,

Digitized by Google

(Non *Te* digna ſatis modulantes carmina nugas)
Reichardo permitte *Tuo*, *Tibi* dicere verſu,
Quanta hac luce meam pertentent gaudia mentem;
Quae, quia non praeſens multis cum millibus vna
Laetitia dare ſigna poteſt, nec tollere plauſus
Ad caelum ingentes, geſtit *Tibi* carminis abſens
Per numeros tenues gratos effundere ſenſus.
Sin haud ſum tanti, nec *Te* mea Muſa iuuabit,
Certe, haec quando leges, *Tibi* fac *Tua* Grimma
recurrat
In mentem, vere *Tua* ſcilicet, ante tot annos
Aſſiduo quae *Te* atque probo gaudebat alumno,
Nuuc magno gaudet patrono, et qualibet hora
Praeſidio fruiturque *Tuo* ſtudioque iuuatur,
Nec *Tibi* non ſummas memori de pectore grates
Fundit ob auxilii ſolatia blanda, quod illi
Rebus in anguſtis tam promta mente ferebas.
Illa *Tibi* nuper caſus moerentibus auſa eſt
Enarrare ſuos numeris, fluctusque rapaces
Ac triſtes Moldae, demtis prope finibus, iras,
Qui, male vicinus doctrinae ſedibus almae,
Cuncta minabatur merſurum vortice ſaevo,
Ni Deus auxilium dextra omnipotente tuliſſet.
Hunc placida quum *Tu*, miſſum *Tibi* fronte li-
bellum

Legeris

Legeris, et lectum verbis factisque probaris;
Cur hodie minus illa *Tibi* ſe ſiſtere vultu
Audeat impauido, cui nunc ſe laetior offert,
Quam tunc, materies, viridis *Tua*, *Magne*, ſe-
nectus,
Corporis et mentiſque vigor, deciesque peracti
Iam quinque officio in ſacro feliciter anni,
Gratantum voces ſincerae, gaudia, plauſus,
Proque ſalute *Tua* votorum millia multa,
Queis ſociam illa ſuam pietatem iungere poſſit?

Iamque *Tuae*, VENERANDE SENEX, in tem-
pora paulum
Illa iuuentutis, caſte ac feliciter actae,
Mecum, quaeſo, redi, cum *Te Tua* Grimma te-
nebat,
In qua rite *Tuae* poſuiſti quinque per annos,
Doctrinae ac fortis fundamina prima futurae;
In qua notitiam primum immortalis AMENDI
Nactus, amicitiae poſt firmum foedus iniſti;
In qua ſupremis, quoties occaſio ferret,
Spectandam exhibuit fautoribus atque patronis
Se *Tua* dexteritas; non haec *Te* cuncta ſub imo
Pectore delectant, mira et dulcedine mulcent?
Non, memori quoties haec tempora mente reuoluis,
Intima totum animum penetrat completque voluptas?

Digitized by Google

Moenibus egreſſum Grimmae ſuſcepit amico
Lipſia docta ſinu, ſollertem et vidit alumnum
Doctrinae variae, firmae, ſacrae atque profanae.
Artibus ingenium hic rectis, ſtudioque colebas
Diuini libri, qui noſtrae eſt norma ſalutis.
Hic quoque multorum, virtus *Tua*, neſcia frangi,
Fautorum ſtabilem ſibi conciliauit amorem;
Hinc ſpem venturae quoque proſperitatis habebas,
Te quippe exemplum noſtro, VIR MAXIME, ſaeclo,
(Cui valde hoc opus eſt) ſeriſque nepotibus eſſe
Prouida cura Dei iuſſit, quam ſaepe regendo
Ludat in humanis diuina potentia rebus,
Quam ſciat ex humili mox ſede extollere in altum,
Quos tenui vidit contentos forte, modeſtos,
Haud ſeipſis fretos, nec faſtu corda tumentes.
Ah! quam nunc aliter ſentit ſtudioſa iuuentus!
Vix iuuenum dudum ſperata Academia vidit
Tres quatuorue annos artes ſtudiumque colentem
Sanctius, ecce! ſtatim mens alta laboris anhelat
Mercedem Herculei largam; plebs ruſtica ſordet
Et ſchola iam nimium docto, malletque repente
Antiſtes fieri, magnaeque ac diuitis vrbis
Auſcultare ſibi populum, noua verba docenti.
Tu paruo contentus eras; hinc magna, fauente
Numine, non poterant *Tibi* non contingere digno.

Prima

Prima *Tibi* ſedes, celſae quod ſubiacet arci,
Rahniſium, tenuis, claro et ſine nomine villa,
Ac Schleizae vicina meae; quo fida patroni
De ſibi ſubiecto coetu *Te* cura vocabat.
Sed mox, cum fidum reperiſſet *Te* eſſe minori
In ſtadio, iuſſit Deus ad maiora venire.
Altera nam ſtatio poſt tres *Pegauia* ſoles
Aſſignata *Tibi* eſt, vt eam ſacra verba doceres.
Heic, quantum officii ſacri pia cura ſinebat,
Tractabat veteris, tranquilla per otia, coetus
Chriſtiadum ritus, mores, certamina ſaeua,
Queis (o ſtultitiam!) pro rebus ſaepe minutis
Digladiata olim eſt Eccleſia Graeca Latinae.
Teſtis adeſt *Tuus* ille liber, doctiſſimus amplae
Doctrinae foetus, quo, quantas *azymus* olim,
In Chriſti ſanctis epulis quem ſumimus omnes,
Commorit *panis* pugnas, et iurgia quanta,
Vndique collectis monimentis, ordine narras.
Quid mirum, ſi *Te* votis optabat auaris
Exterus? ad ſeſe ſi Belgica terra vocabat?
Sed potior patriae tum vox Regique Deoque
Blanda fuit, *Te* porro ſuo cupientis habere,
VIR VENERANDE, ſinu, maioraque praemia magnae
Reddere doctrinae *Tibi* ſincerique laboris?
Non igitur multo poſt *Te Tua Plauia* vidit,
(Grande ſibi mea quam caput eſſe Variſcia gaudet)

Doctoremque gregis primum venerata ſacrati,
Annos paene decem facundae flumine linguae,
Alloquio, curaque *Tua*, ſtudioque leuata eſt.
Hic propius tandem Iuuenis *Te* noſcere Princeps
Coepit, et, *Hic*, *propior nobis*, *aliquando docere*
Dignus, ait, *variis e millibus*, *vnus in aula eſt!*
Dixit, et emeritis ierat vix curſibus annus,
Ecce, gubernatis diuino numine rebus,
Verbis Ille fidem praeſtat, Dresdamque vocaris
Saxoniae Antiſtes ſummus, cui publica ſacra,
Relligionis honos, Eccleſia tota, ſcholarum
Intemerata ſalus, et res Academica curae.

Quid *Tibi* mentis erat (liceat mihi quaerere, quaeſo)
MAXIME VIR, qualis *Tua* per praecordia ſenſus
Laetitiae, et verbis vix enarranda voluptas,
Cum, ſtatione noua quatuor vix ſolibus actis.
Nectere amicitiae vetus immortalis AMENDI,
Iamque diu abruptum longo poſt tempore, filum
Iam rurſus, Dresdamque vocare liceret amicum,
Cui ſchola *Te* iuueni iuuenem bene iunxerat olim?
Cum quo rem ſacram poteras concorditer omnem
Saxoniae curare ſimul, prodeſſeque cunctis?
Idem vtrique animus Veſtrum, par cura ſcholarum,
Relligionis amor, ſtudium et pietatis alendae.

Digitized by Google

O quales, et quot, triginta paene per annos
Doctores patriae, varias hinc inde per vrbes,
Inſignes pietate viros atque arte, dediſtis!
O quot conſilio, quot re iuuiſtis egenos!
Quot miſeros, timidosque ſimul, recreante clientes
Alloquioque et ſpe faciles hilaraſtis amica!
Scilicet illa fuit tum, cum primordia Veſtri
Muneris in ſacro fuerant capienda Senatu,
Relligionis adhuc, doctrinae et fertilis aetas,
Qua, quae feciſtis, facere hoc maiore licebat
Laetitia, quanto plura eſſent vndique, Veſtram,
Per ſe iam promtam, ſtimulis agitantia mentem.
Seria tum (quis neſcit?) adhuc plerisque placebant;
Sancta colebatur pietas, ſine fraude doloque,
Nec fraudi cuiquam, rerum linguaeque perito,
Credere ſimpliciter, caelo vox edita quidquid
Perſpicue docuiſſet, erat, dubitareque laudi.
Artibus ingenuis nondum tunc deerat vbique
Aſſiduus cultor, diſciplinaeque ſeuerae
Fraenabatur adhuc vinclis laſciua iuuentus.
Ingenuos inter iuuenes vitae apta futurae
Plurima diſcendi nondum refrixerat ardor.
Nondum quisquilias, ſine queis maiora nequirent
Diſcier, atque meras nugas pars magna putabat.
Nondum mollis erat tunc diſciplina parentum

Digitized by Google

Vlla domi, verum ſapiens rigor vſque ſalubri
Laſciuum puerum iuuenemque timore premebat.

Iam mecum, quaeſo, (ſi laetae gaudia lucis
Forte tamen fas eſt rebus turbare moleſtis)
Adſpice, transactae quam ſit diuerſa, ruensque
In peius ſemper, quam nos nunc viuimus, aetas,
Et ſaecli genius quam ſit diuerſus ab illo,
Qui dominabatur noſtrorum aetate parentum.

Prima aeui labes incuria ſumma parentum eſt,
Mollitia, et crudelis amor, quo pignora cara
Amplexi perdunt, ab eis perduntur et ipſi.
Omnis in Aſcanio matris ſtat cura patrisque.
Sed quaenam? Vt nunquam ſtomacho ſint otia nati
Vlla ſui, vt ſatient grata vſque cupedia ventrem,
Rideat vt ſemper, nunquam fletu ora rigentur,
Veſtiat vt puerile figura nouiſſima corpus
Quaeque, vt membra leuet greſſu ſaltuque decenti,
Quid mens interea, atque animi cultura profani?
Num legere ille poteſt etiam? Num ſcribere, quaeſo? et
Imperiis promtus didicit parere iubentum?
Ordinis in rebus decorisque an, gnarus agendis?
An numen nouit ſupremum? Scitne precari? —
„Ah! nimium poſcis. Puer eſt, prope debilis infans:

„Non

„Non pueri tibi mens nimio eſt oneranda labore,
„Nec poenis vnquam male perterrenda ſeueris
„Solus amor regnet, caſtiget, corrigat ipſum. —
Quando igitur diſcet cenſeri lege ſeuera? —
„Hoc aetas annique dabunt; ſperare iuuabit.„ —
Quid, ſi non dederint? ſi obuertere cornua tentet,
Et, monitori aſper, vel mollia-fraena recuſet?
Si, ſolitus ſemper regnare, ac ferre repulſam
Neſcius, obiurget male cautum ſponte parentem,
Cogat et hunc verbis, extrema minantibus omnia,
Vt gnati nutum nolensue volensque ſequatur?
Sera profecto patrem ſtultum metanoea ſubibit.

Si plures fructus, quas indulgentia gignit
Saeua patrum, cognoſſe velis, ac damna videre,
Aſpice, quaeſo, ſcholas, vbi diſciplina ſeuera
Cernitur, et ſaecli vitiis ſe fortiter huius
Fidorum opponit doctorum ſedula cura.

Vix puerum, tecti materni ſede relicta,
Inſolitum ludi limen pro more recepit,
Cum nouus en! alium veluti delatus in orbem
Hoſpes cuncta ſtupet primum moerore metuque.
Contracta (haud longa eſt mora) conſuetudine rerum,
Exſerit innatas paulatim denique labes,

Quas

Quas facili cura vigilantia parua parentum
Demere cum poſſet, vix heu! vix demſerat vllam.
Stipitis in morem non reſpondere rogatus
Ille poteſt quidquam, vix dicta iterare loquendo,
Quin male corrumpat verba, aut ſtultiſſima dicat.
Nulla attendendi, capiendi nulla facultas,
Nullus amor libri, patientia nulla laboris.
Quid facies trunco? Sexcentis ille diebus
Aſſidet in caſſum, donec defeſſa tenaci
Doctorum ſtudio paulum ſocordia cedit,
Et male tardus homo ſenſim ſenſimque micanti
Diſpexiſſe oculo doctae pretium incipit artis.

Sed vix exorſus ſtadium eſt, tandemque legendi
Vtendique libro venit ſat tarda facultas,
En! aliud maiusque malum conantibus obſtat,
Ingluuies, iuueni teterrima peſtis, anhelans,
Senſibus et cupido quae ſint iucunda palato,
Delicias potus, et pulpamenta ciborum.
Scilicet hic pleno tractabit ventre *Nepotem*
Gnauiter, aut *Schmidi* veteris praecepta reſumet
Grammaticus, vertetque ſtilum, qui nocte dieque
Deliciasque dapesque gula meditatur aperta!
Naſcitur hinc aeris porro profuſio foeda,
Et, quaecunque videt, coemendi inſana libido.

Stulte

Stulte namque putat deberi prodigus ille
Optima quaeque ſibi. Libri rariſſima quaeque
Cuiusque editio ratioque nouiſſima quaeque
Veſtitus puero cariſſima ſemper habetur.
Scilicet, argenti quando penuria vexat,
Dimidio ſociis pretio quod vendat, habebit!

Non minus eſt aliud iuueni exitiabile monſtrum
Mollities, ſaecli vitium inſanabile noſtri.
Dic mihi, quis, quaeſo, hôc aeuo, VENERANDE PATRONE,
Non hoc infectus morbo eſt? quis grata ſeueris
Poſthabet in ſtudiis, grauiori dulcia Muſae?
Praemia virtutis, curae, longique laboris
Quilibet exoptat, quaerit, venatur, anhelat.
Ipſam virtutem, curas, longosque labores
Quaerere nemo cupit. Quiuis vult eſſe poeta,
Seu dici potius; certatim carmina condunt,
Certatim Flaccos compilant atque Marones.
Sed num ſit forſan mutata, errore ſuborto
Syllaba longa breui, pes claudicet vnus et alter,
Non Hippoclides id curat ſcilicet! — „Iſtae
„Ad coruos abeant, (haec inquit natio) nugae!
„Ingeniis magnis, feriunt quae vertice ſtellas,
„Qualia ſunt nobis, minime puerilia curae

„Eſſe

„Eſſe decet; ſumma quis ſollicitudine captet
„Litterulas, verborum apices, metrique laborem?„

Eſt ſaeclum porro (ſemel eſt nam more receptum)
Mirari veteres Romanos atque Pelaſgos.
Namque hoc nunc faciunt omnes, rex, foemina, doctus,
Miles, anus, monachuſque, opifex, iuueniſque ſenexque.
Ergo operae pretium eſt, cognoſcere rite, quid illi
Venturis poſt ſe doctum atque ſalubre notarint.
Sed linguis opus eſt veterum, Graeca atque Latina,
Scilicet: hoc opus, hic labor eſt; addiſcere tot res
Tantasque, arridet paucis; hinc, fonte relicto,
Teutonicos illi riuos plerumque ſequuntur,
Proh! dolor, impuros, atque omni labe ſcatentes.
Mirum, ſi Gallos atque Anglos inſuper addant,
Tantus ineſt torpor pleriſque, vt turpiter omnem,
Vel minimum, fugiant cane peius et angue laborem
Mauult quisque frui tantum, mulcere palàtum,
Corpore, mente pati, mollique liqueſcere ſenſu,
Quam facere officium, ſtudio dureſcere multo,
Et Graecis chartis atque inuigilare Latinis.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ſunt in pretio *Wertheri* vulnera caeca,
Siegwarti veſanus amor, martyrque *Sebaldus*,
Et quae librorum gignuntur monſtra nouorum.
Nam ſua, (crede mihi) diuerſa prioribus vsque,
Quilibet annus habet, ſed deteriora quotannis.

Iam pietas et doctrinae reuerentia ſanctae
Debita, relligio, caelo gratiſſima virtus,
Quo ſint cuncta loco credo, VENERANDE PATRONE,
Ipſe vides, iuſtaſque cies hinc iure querelas.
Quid ſacer eſt codex? — „Disiecti membra poetae,
„Fragmina, fabellae, quae ſcribebantur, vt eſſet,
„Gens oblectaret quo ſummum Hebraea ſtuporem,„ —
Dogmata quid fidei, quae ſancta volumina pandunt? —
„Sunt ſpinae tricaeque, et, ſi quid vilius iſtis.„ —
Quis Chriſtus? — „Cautus doctor.„ — Quid Symbola? — Nugae;
„Triſte iugum, pugnans cum libertate loquendi.„ —

Haec ſaecli facies: quam ſi vidiſſe Luthero
Poſt mortem fieret rediuiuo inopina poteſtas,
Tunderet is terram pedibus, grauiusque tonaret,
Quam tum, cum ſacri, Romanos, fulmine verbi,

Digitized by Google

Contra Pontifices heroica lingua tonabat.
Quid faciant iam, quaeſo, boni? Num mente puſilla
Deſperare, bonae et fas eſt diffidere cauſſae?
Nil minus. Ille ſuam recte defendere cauſſam
Ipſe poteſt, qui cuncta poteſt; nam ſolius huius
Res agitur; cuius rata ſi promiſſa putamus,
Nec vana, Ipſius quae ſancta oracula pandunt,
Tempora iamiam inſtent nobis meliora, neceſſe eſt.
O! vtinam tam longa Deus TIBI ſtamina vitae
Extrahat, vt ſperare boni quae fortiter audent,
Ipſe TVIS oculis aliquando cernere poſſis:
Artibus ingenuis reparatos vndique honores,
Et ſtudium veri atque boni commune, ſacraeque
Doctrinae pacem, totius et orbis eosdem
Diuinos cultus, et relligionis amorem!
Certe TE Pylii viuendo Neſtoris annos
Aequare omnipotens iubeat moderator Olympi,
Ac vegetam ſemper viridemque tenere ſenectam,
Noſtra vt adhuc longos Eccleſia tota per annos
Doctrinaque TVA, pietate, fideque fruatur!
Nec TIBI, quaeſo, TVAE veniant obliuia Grimmae,
Nec, qui ibi litterulas vnquam diſcuntque docentque!
Denique, (ni nimium eſt, atque immoderata rogamus)
Sim poſtrema TVI vates ego meta fauoris!

H. G. REICHARD.

HVIC

HVIC CARMINI
VIR DOCTISSIMVS
TVM
AD AVCTOREM ITA MANV SVA RESCRIPSIT:

Iubila, quae docto celebraſti carmine, Amice,
Hoc ipſo fiunt nunc mihi laeta magis.
Nunc Grimmana mihi plus ridet vallis et vmbra,
Moldanos colles ſi reſonare doces.
Rahniſium, et Plauiam, et vicinam vtrique Schleizam
Carmine ſi laudas, hac quoque laude placent.
Eſt Deus in verſu, quo tot mihi fauſta precaris;
Sit Deus in voto, quod Tibi reddo, meo:
Viue diu felixque Tua cum ſtirpe vireſce!
Cumque tuis Muſis, optima Grimma, vale!

I. G. Hermannvs.

Digitized by Google

APOLLO VATICANVS.

„Inuidiae vultu miſer o defixe maligno,
„Qui mea nunc reſeras templaque claudis,
Ion.
„Non, tua ſi mala nunc, ſi peſſima, non eadem olim
„Sors erit, hinc animos vſque reſume nouos.
„En hiemem, tetro contriſtantem omnia vultu
„Tempora purpurei veris amoena fugant;
„Ipſaque, frigoribus quae nunc adſtricta tenentur,
„Flumina mox curſu liberiore fluunt.

interprete
PALLAVICINI.

IN

Digitized by Google

IN OBITVM IO. GOTTLOBI BOEHMII PROFESSORIS LIPSIENSIS. 1780.

Triſtia dum queruli deplorant funera verſus;
Dum fluit ex oculo gutta caduca meo:
Factane ſint vere, quae moereo, damna, requiro,
An nocturna meum ludat imago caput.
Luderet o vtinam! Lacrumas fudiſſe iuuaret
Si modo, quae nunc eſt, irrita cauſſa foret.
Sed nimio verum eſt, nimio irreparabile damnum,
Quod multi, quod ego, quod Philurea tulit.
Et tu Criſenium Beroenſem Academia felix
Paſtorum Arcadiae perdis, et icta doles.
Mortuus eſt vates, cuius ſacra carmina viuent,
Qui patria fuerat primus in Hiſtoria.
Propoſiti iuſtique tenax: coniunctior alter
Quo mihi non vllus, nec mage carus erat.
In quo multarum ſpectata ſcientia rerum,
Multus, et a ſtudiis maximus, vſus erat:
Pectora qui Recto Fideique ſacrata gerebat,
Pectora non preſſa candidiora niue:

Digitized by Google

Quem nuper vidi ſtudiis et honore vigentem:
Quem viſum poterat credere nemo ſenem:
Illius aeterna iam lumina nocte premuntur,
Oraque ſub minimo puluere docta iacent.
Si retinere Viros Pietas Doctrinaque poſſent,
Tardo veniſſent haec quoque fata pede.
Tu patriam repetis: nos Te lugemus ademtum:
Donec erit nobis vita, dolendus eris.
Te mihi, meque Tibi reddet felicior hora.
Tunc ero colloquii pars, velut ante, Tui.
Viue, vale aeternum: nos ordine quisque ſequemur:
Longior aut breuior vita quid? Vmbra fuit.

Io. Ge. Eccivs.

IN CHOERILVM.

Dextera quae dederat, manus aufert altera: grates
Ergo, ingrate, mihi Choerile, redde datas.

Eurycles.

AD

Digitized by Google

AD

TITANDRVM

DE ECCLESIAE ET LITTERARVM STATV PRAESENTI.

Te qui praecipuo noſtros iure inter amicos
Iamdudum cenſere loco, rerumque mearum
Pectoris atque mei pars haud ſpernenda fuiſti,
Quocum tot memini communia habere, tot horas
Fallere, iucundo tecum ſermone fruentem,
Nec quenquam laedente bonum, cum iungeret ambos
Corpore adhuc, ſtudiisque, et amico Lipſia ſenſu;
Te, quem non tantum, de conſuetudine noſtri,
Laudibus ad coelum ſimulatis tollere, ſaecli,
Ingenuas verum et didiciſſe fideliter artes,
Ac totas hauſiſſe iuuat; quem plena labore
Egregie doctum monſtrare volumina poſſunt;

Te, quem talari nigra cum veſte ſciendi
Depoſuiſſe ſimul ſtudium, pudet, atque legendi,
(Quod pauci faciunt) et Graecos atque Latinos
Eiuraſſe libros; te, mi Titandre, licetne
Verſibus affari, nunc temporis? idque Latinis?
Romanis dico, quos vix centeſimus audet
Scribere, ab indocta irriſo ne forte caterua:
Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor vlli!
Exſule ſit tandem ſibi cum Naſone querendum?
Sed tamen audebo; te iudice, credo, licebit.

Magna quidem res eſt, aduerſo flumine nantem
Nec mox abripier, nec prorſus gurgite mergi;
Praeſertim cum ſcribendi ſubitoque nouandi,
Quae modo cunque velis, maleſana licentia regnat,
Nec modo, (quod ferrem) pictoribus atque poetis,
Sed, cuicunque lubet, dum ſit verſutus et audax,
Quidlibet audendi conceditur aequa poteſtas.
Quis tamen iſta ferat, qui non, vti cetera turba,
Quae videt a cunctis fieri, facienda putabit;
Sed veri rectique tenax, et iuris amator,
Non hoc omne ſtatim bucca admiratur hianti,
Quod parte externa ſpeciem mentitur honeſtam,
In ſe virus habet? Scio, ſi natura negaret,
Iratum faceret ſola indignatio verſum.

Scin-

Digitized by Google

Scinditur in binas bona iam Germania partes.
Altera doctrinam damnat communiter omnem;
Cui tu ſi credas, veterem quicunque profanum
Scriptorem inſpexit, fuerit mox ipſe profanus.
Altera commendat Veteres, at abutitur illis,
Artibus antiquis quo tutius abdere poſſit
Erroris ferale ſui pus atque venenum:
Blanditur ſpecie doctrinae mentibus, atque
Allicit incautos, fanda atque infanda docendo,
Nequitiaeque viam, et, dubios iuuenumque ſenumque
Corrumpit mores, miſcens quadrata rotundis.
Quid? quod non tuta eſt ab eorum inſultibus ipſa
Relligio, alma parens, coeli veneranda propago.
Credite (ſic clamant) quidquid lubet atque videtur,
Quis te, quaeſo, adigat, ſana ratione fruentem,
Non intellectas, plenas caligine denſa,
Dictatas tantum a proauis, reuerenter auoque
Cantatas iterum cantare ac reddere voces?
Omne (mea haec lex eſt) quod non intelligo, falſum eſt.
Diuini opponis libri mihi verba diſerta?
Concedo; ſenſum illorum quaeramus vterque,
An ſit id in verbis? Cedo libros, inſpice fontes,
Atque Arabem, atque Syrum: membranas conſule cunctas.

Heic aliud verbum eſt. aliter quoque tranſtulit ille;
Heic libri variant; aliter capiendum erit illud;
Latius hoc ſumo; multo contractius illud;
Hoc nobis ſcriptum eſt; ſoli reliqua omnia Apellae.
Ergo, cur miſeris imponere mentibus amens
Vincula tanta velim? Cur ſaeua coactio quenquam
Diſcruciet, quid ſit credendum, quidue docendum?
Cur ſacri iurent aliena in verba miniſtri?
Aut, ſi iurarunt, quid inanis torqueat ipſos
Quaeſo, datae fidei metus hic, *ſe credere velle*
Velle docere alios, *quodcunque Eccleſia credit?*
Diſcite, mortales, diſſenſum ferre ſacrorum.
Barbaries haec eſt, diuerſa vrgere ſequentes.
Ipſa Dei pacem vobis oracula ſuadent;
Et facilis Deus eſt, et nil niſi ſpirat amorem,
Nec nimium curat, quid vos credatis, id vnum
Curat, vt alternis voſmet conſtanter ametis
Virtutemque Deam ſincera mente colatis.

Haec illi iactant. Tune haec, Titandre, probabis?
Non, (ſcio) non facies. Libeat iam quaerere mecum,
Qui ſint, tam vehemens quos libertatis amatae
Scribendi quiduis diuexat pectore cura?
Hoſne putes, quos iudicio de rebus acuto

Anni

Anni inſtruxerunt atque experientia rerum?
Aut quibus ingenti pectuſque animumque paratu
Doctrinae inſignis nunquam laſſata repleuit
Sedulitas, aegro et vigilatae corpore noctes?
Aut, quorum medio defixus pectore inhaeret
Relligionis amor ſimplex, verique videndi?
Crede mihi, nunquam quibus inſunt talia, ſcribent
Litterulam ſimilem his, quos haec mea littera tangit.
Quosnam igitur cenſes? ais. — En, cariſſime, fontem!

Imberbis *Criſpus*, petulans cui ſanguis in omni
Paene ſalit vena, fugiens curaeque laborisque
Et tamen eſſe aliquid cupiens, nec peior haberi,
Quam reliqui, et digito monſtrari, et dicier: *Hic eſt!*
Poſtquam clauſtra ſcholae diſciplinamque reliquit,
(Heu! nimium rigidam ſibi) iam, cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque et aprici gramine campi,
Praeclarum, ſi non peioribus — inguine, Baccho.
Sed tamen ille idem cupit olim magnus haberi,
(Quod non contingit facile ſtertentibus) ergo
Vult media quadam ire via, nec mittere captum
Propoſitum e manibus, nec ſe macerare labore.

Hinc

Digitized by Google

Hinc primum lepidos, haud magna mole, libellos
Scribit, vt allecti plures breuitate legentes
Accedant, famamque hominis diſpergere tentent.
Scribit ephemeridas, dextraque minante tremendum
Vibrat in exiles primum timidosque flagellum
Auctores; ſenſim, ſi rem ſuccedere vidit,
Maiores tentat, quorum iam nomina certo
Fama ſuper terras dudum ſignauit honore.
Fit celeber; captat titulos atque ambit honores,
Supremoſque locos, ac iam vult eſſe patronus.
Allicit ad ſeſe hinc ex omni parte clientes
Conſimileſque ſibi, qui ipſum reuerenter adorent,
Thura ferant laudis, plures iungantque colonos
Quotidie, firmentque nouum ſine lege tribunal.
Hi, quidquid plenum dicant ſcribantue furoris,
Per *Criſpum* toto celebratur in orbe viciſſim
Vt pulchrum, ſapiens, et quouis principe dignum.
Quid nunc? Dictator leges iam ſcribit aperte,
Quasmodocunque lubet, ſcriptoribus omnibus idem;
Summaque cum voti ſit ei, blandirier aeuo
Praeſenti, et genio ſaecli, de more, placere:
Quid mirum, quaeuis, modo ſint noua, vel videantur,
Si mox effuſo probat ille per omnia plauſu,
Securus, quidquid diuini oracula verbi,
Relligio, pietas, ius, fas, rectumque loquantur?

Publius

Digitized by Google

Publius, effraenos propter, qui fabula, mores
Nuper in vrbe fuit, Veneris turpeſque rapinas,
E patria tandem profugus, terraſque per omnes
A foedi furiis animi, rumore ſequaci,
Scriptorum et probris petulantum agitatus acerbis,
Contendens alio, ſedes vbi fata quietas
Fortaſſe oſtendant, procul a natalibus aruis
Arte locum varia tandem pro tempore nactus,
Emendare hominum ſubito genus omne libellis
Suſtinet, et meliora antiquis ſacra docere,
Quique haec ante ipſum, conſueto more retento,
Tradiderint aliis, omnes, diſcrimine nullo,
Stipitibus ſimiles, bardos, fungoſque fuiſſe.
Immo Deum formare audet, quem optauerit ipſe,
Diuinique nouat ſacrata volumina verbi.
Iamque Deus minime, quae vult, ſed, *Publius* illum
Quae dixiſſe iubet, loquitur. Proh! quaeſo, pudorem!

At *Caius*, grauior vultu, multumque peritus
Doctrinae veteris, verum et verſutior iſtis,
Seria praefatus ſemper, cum monſtra nouorum
Parturit errorum, purgat, ſecat, vrit, omittit
In ſacris libris, quidquid modo diſplicet ipſi,
Nec male degenerem inuitat nouitate palatum;

Seu,

Seu, quia principibus, (quibus antiqua omnia ſordent)
Exoptat placuiſſe viris, ſeu dira nouandi
Abripit, errorum mater foecunda, libido,
Seu famae ſtudium, et doctrinae turgida vexat
Ambitio antiquae, qua doctos anteit omnes.

Sextius, inuitum occulto quem forte maligna
Detruſit fortuna loco, fecitque miniſtrum
Oppiduli aut vici ſacrum, quum Praeſulis inſtar
Magna ſui magna feciſſet opinio in vrbe,
Scribit, et errores vel parturit ipſe nouando,
Vel compilando bis coctas ruminat herbas.
Scilicet vt dicat ſibi mox patronus in aurem:
„Hem! bone vir, pridem qui poſt carecta latebas,
„Digne loco meliore! Tua en doctrina meretur
„Pinguius officium: non longo tempore habebis,
„Mox mihi Praeſul eris: expecta, quaeſo, paruumper!
Crede mihi, exiguam ſi ſpem monſtraueris, vnquam
Sextius (ignoſcas verbo, quod Turcia fecit)
Muſſtius vt fieri ſine caede et ſanguine poſſit,
Extenſa munus prendet tam nobile dextra,
Atque ſinet circumcidi praeputia laetus,
Quin proprio actutum, ſi iuſſeris, ipſe libello
Oſtendet,

Digitized by Google

Oſtendet, facili conatu poſſe parari
Aeternam Turcarum in relligione ſalutem.

Hi ſunt, aut ſimiles, qui nos, Titandre, docere
Vera volunt, veraeque viam monſtrare ſalutis,
Tanquam ſi Catilina velit ieiunia priſcus,
Virtutem Piſo, mores Caracalla pudicos,
Et menſas modicas Romam docuiſſe Lucullus.
O ſpecie plenum, centum venerabile linguis,
Sed male peruerſum pridem, *Tolerantia*, nomen!
O quantum mulcente ſoni dulcedine tardis
Auribus illudis rudium, mentiſque ſtupori,
Ne, quid ſub blando lateat torpore veneni,
Relligio quantum patiatur vera, videre,
Infandoque malo medicinam quaerere poſſint!
Quid facias, Titandre, rogas, hoc turbine rerum?
Si me audire voles, vox te vna tuebitur: Aude
Credere, nec, fortaſſe metu correptus inani,
Ingenioſa hominum nequam dicteria cura;
Sed perge intrepida ſacroſancta volumina mente
Scrutari, quorum doceat te littera ſenſum
Intellecta prius linguarum legibus aequis,
(Quas recte, ſcio, tu calles) non lumine paruo
Ingenii aut animi male diuinata vagantis.
Hoc igitur, Titandre, hoc, hoc faciamus vterque
Aſſidue, quantum vires patientur; at iſtos
Gauden-

Digitized by Google

Gaudentes, laetos, ſaltantes, atque canentes,
Exacta vita, ſubito migrare ſinamus
In paradiſiacas ſedes, campoſque beatos,
Ipſorum ingenium ſibi quos confinxerit ipſum,
Sed quales nec tu, nec ego, nec ſutor egenus,
Exoptare ſibi, nec denique ruſticus, auſint!

H. G. Reichard.

AD SPEM.

O Graiis Latiisque ſimul vexata poetis,
Quae varias formas, munera mille ſubis:
Quae mox in dolio reſides, mox iuncta ſatelles
Fortunae, aërium mox legis ales iter:
Nunc laqueo volucres captas, et arundine piſces,
Nunc male repis humi, nunc capite aſtra feris:
Non ego mordaci laeſi tua numina verſu,
Lingua nec imprudens impia verba luit.
Ah quoties poſito tibi ceſpite, paupere cultu,
Vilia ſed caſto pectore tura dedi!
Vtque humilem, votis ſupplex precibuſque popoſci,
Dignarere larem numine adire tuo.
Non tamen attingi pateris te lumine claro,
Signa nec aduentus prodis amica tui.

Per-

Pertendensque animo ſtolidi incolis Anſeris aedes,
Cui nil, quod ſaliat, laeua mamilla tegit;
Sed deforme, horrendum, ingens, ac ſenſibus expers
Prodigium infatuat pectus inane — *pepo.*
Inde veni, tecumque feras, precor, otia docta,
Otia, queis annos tot miſer heu! carui.
Tum bene decurret ſuſcepti ſtaminis ordo,
Tum bene Muſarum perfruar hoſpitio.

Q. Palaeophilvs.

EPIPHONEMA.

Quid quereris? tus, Quinte, deae fumumque dediſti:
Illa iterum fumum dat, dea juſta, tibi.

Evrycles.

CL. CLAVDIANVS DE CONS. MALL. THEOD. INIT.

Ipſa ſibi pretium *) *Virtus, nil indiga laudis,*
Nil opis externae, Claudius ecce crepat:
Ornatus ſtatuis, titulis, et honoribus auctus,
Cui res, Arcadio, ſplendida, dante, fuit.
Nos quoque, non ſtatuis, vanis nec honoribus aucti,
Defenſi tantum frigora ſaeua, famem,
Ipſa ſibi pretium, ſaturo clamabimus ore,
Virtus, nil externae indiga laudis, opis.

— — *ſatur eſt cum dicit Horatius, Evoe.*

Iuvenal. VII. 62.

Volscens, Arcas.

*) Fluxere haec Claudianea forte e poeta tragico, cuius fragmentum extat in Grotii Exc. trag. p. 461,

— — Αρετη των εν ανθρωποις μονη
Ουκ εκ θυραιων ταπιχειρα λαμβανει,
Αυτη δ' ἑαυτην αθλατων πονων εχει.

Digitized by Google

CARMINA ALIQVOT GRAECA.

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGIVM SIDVS.

Ταλοθεν το Φεγγος αγαστον ορφνας
Εκ μυχων εφλεξε· Σοφων δ'αθρων τις
Ευσκοποις Φρυρησι φυλαξεν οσσων·
Αστερα δ' εγνω

Τονδ' ιδων, νεωτατον Ουρανυ παιδ'·
Ως ιδ', ὡς τεθαπεν! εμοι δ' αρ ὑμνων
Νιν χλιδης σεψοντι δι' αιθερος κυ.
--φα πεταται φραν.

Ποι δ' ελων κιχοιμ' αν; επ' ἀντυγος τευ
Θυ μ' αγωνων ουρανιων θεωρον,
Ευφρονα γλαυκωπι, τεας τ' αφ' ἑδρας
Κλειθρα χαλαξον·

Ως ιδοιμ' αν, χωρις α γας πεπρακται,
Των δ' ανω τα κρυπτα· Συ δ' Ἑρσχελευ, μας
Πυ γεγραψαι τας κραδιας; επει τιν
Αμβατος αιθηρ·

 Σοι

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGIUM SIDUS.

Ταλοθεν το φεγγος αγαστον ορφνας
Εκ μυχων εφλεξε· Σοφων δ'αθρων τις
Ευσκοποις φρȣρῃσι φυλαξεν οσσων·
Αστερα δ'εγνω

Τονδ' ιδων, νεωτατον Ουρανȣ παιδ'·
Ὡς ιδ', ὡς τεθαπεν! εμοι δ'αρ ὑμνων
Νιν χλιδῃς σεψοντι δι' αιθερος κȣ-
--φα πεταται φραν.

Ποι δ'ελων κιχοιμ' αν; επ' αντυγος τευ
Θȣ μ' αγωνων ουρανιων θεωρον,
Ευφρονα γλαυκωπι, τεας τ' αφ' ἑδρας
Κλειθρα χαλαξον·

Ὡς ιδοιμ' αν, χωρις α γας πεπρακται,
Των δ'ανω τα κρυπτα· Συ δ' Ἑρσχελευ, μας
Πȣ γεγραψαι τας κραδιας; επει τιν
Αμβατος αιθηρ·

Σοι γαρ οππατεσσι δεδωχ᾽ ὁ Λυγκευς
Οἱς δεδορκεναι᾽ ταδ᾽ εχων τα θνατοις
Αστιβη ποδεσσι, φραδαν συθεις πτε-
-ροισιν, εποπτη.

Τας θ᾽ ὁδȣς Νευτωνος, ὁ θεοις ισος φως,
Πρȣσταλη, τειρων δ᾽ ιδε δυσκριτȣς ευ
Αντολας, παντων τε δυσεις, πολος τα τ᾽
Εςεφανωται.

Ευρυ δ᾽ αρ Δαιμων πεδον οἱ ςαθματο
Ων δρομων᾽ τη ῥ᾽ αλλοθεν αλλα κυκλῳ
Αςρα διφρευȣσι θεοσσυτῳ χρυ-
-σοζυγ᾽ αναγκα.

Α δε Σειραν Αρμονια ῥυθμιζει
Ταν βασιν ταν ἑπτατονον᾽ κρυφα γαρ
Μαλθακοις κηλοισι τα παντα θελγει
Δεσμον αδεσμον

Αφθιτȣ πλεκοισα ποθȣ᾽ Τι δ᾽αυτας
Ουκ ακȣει; χ᾽ ᾳ συ, Γεωργιον Φως,
Εσχατον προς τειχεα᾽, ἁ πεπταται νυξ,
Ελλαχες οιμον.

Αςρα-

Αστραπας δ' εν μεσσῳ ὁ δεργμα λευσσων,
Ομφαλος κοσμοιο, ῥυτου 'πι βωμῳ
Του φαους ασβεστον ὁς αμφεπει πυρ,
Χρυσεος ἡσαι

Αλιος· παμφλεκτου εφ' ᾡ τετραπται
Δωμα, κυκλιος τ' ενοσις· θεος γαρ
Τουδ' εμεν σφραγιδα θοων Πλανατων
Αιεν επαξεν.

Ενδ' ὁγ' αρ ζαπλουτον αειῤῥυτος ῥεν
Εκ μυχων ἱησι· γελα νιν ὡνηρ
Εισορων, λαμπει δε τα γας· ὑπ' αυγαις
Παντα γεγαθεν.

Η ῥα φυ πολλων βροτος ιδρις, αλλ' ου
Πανσοφος, καν καρτα γαρ ων πυκνος τις
Εν φρονῃ, πολλ' εκφυγε· χ' ὡς συ, κυκλων
Ω νεον ανθος,

Πρωτον εν προυπτῳ φανου· ειτ' εβλαστες
Αρτικολλον εκ' Χαοθ', ειτ' απ' 'αρχας
Εν σκοτῳ τα συγνα κελευθ' αποπτον
Αμφιελιχθης·

Τις

Τις δε νυν σ'επεμψε; Φοβος με θραττει
Μαντις ατας — Μων σε κακαγγελον θεος,
Φρυκτον ὡς, ανηψε; τι γαρ ποκ' αμμι
Τεχθρον εφορμει;

Η' εχ ἁλις προῤῥιζον ορων ἑδραι δη
Ερραγεν σεισμοισι, φλογιξε δ'αιθηρ;
Η' εχ ἁλις δυστεκνος ὁμοσπορων γα
Αιμα πεπωκεν;

Αλλα δητ', ει πω τι μεμαλεν αςροις
Των βροτων, νυν πρευμενες ομμ' εχειν σε·
Φαντι και αςροισι γενος τι φοιταν·
Αιθ' αφαρ ειην

Λαμπρον ωρκν' αμπταμενος μελαθρον,
Τον πελας κινηθμον οχων πυρωπων
Ω'ς σκοποιμ' αν' εν δ'αρκ τιν περιττω
Θαυματι κειμην·

Σοι γαρ εν χρυσαισι ναπαις αδακρυν
Οἱ' γαθοι ταχ' αν βιοτον νεμονται·
Η τι, χὡσπερ αμμες, οναρ σκιας επ-
-αμερον εθνο;

Φερ-

Φερβεται· κᾳκει τε το πενθος ηνθεν·
Και τις αυτων τεκνον εκλαυσε μητηρ·
Και τις, ὡς κᾳμμες τε, πατρας αναιδη
Ποτμον οπωπεν.

Τοις τε και ταχ᾽ Ελπις ὁμαυλος, ὁυρως δ᾽
Οιςροπληξ, Ὑβρις τε, Φονος τε, κ᾽αιδως
Ἁ ῥοδα βλεποισα, Φρενων τ᾽ εριννυς
Μαιναδες οργαι.

Ουδ᾽ αρ ἑρπεις ταν ὁδον, ω καλον Φως,
Μȣνον· αμφι γαρ ςροφαδες σε μηναι,
ΦωσΦοροι συνωριδες, αργυραν ςα-
-ζοισιν ἑερσαν.

Χαιρ᾽, αωτον Ουρανιδαν, εμας γας
Φαιδρον ἀγλαϊσμα! Βλεπȣ σου, ω᾽ναξ,
Εγγραφεν δελτοισι το κυδος αςρων·
Σοι δε τα μασσω

Παρ σκοπειν· οιακα νεμων Φυλαττεις
Ιρραγος εν πρυμνη πολεως, σαλω ταν
Ση κακῳ τυπεισαν εσωσε βȣλη.
Νυν δε νιν ευπλȣς,

 Αισσο-

Λισσομαι, πεμψαι τις εφ' ὁρμον οιρος·
Σοι τ' αει πλεοντι το κυριον φως
Αισιως ὑπερθεν επιφλεγοιτ', επ-
-ωνυμος Αςηρ.

Cantabrigiae, in maximis Comitiis Jul. 1788.

AD VIRVM ILLVSTREM
FRIDERICVM GVIL. DOERING
NVPTIAS
CVM
AVGVSTA RITTERIA
CELEBRANTEM.

Αςηρ ἑσπεριος τριποθητον φεγγος ανισχει
την γλυκερην μνηςην μνηςῳ ες αγκας αγον.
Ανερι παρθενικην ἑλικοβλεφαρον παρακλινας
ειδαλιμην, πασης εμπεραμῳ σοφιης.
Τρισσακις ευδαιμων, ᾠ κυπρις μοιραν ενειμε
Οιην, νυμφι, εχεις, και συ γε, νυμφη, εχεις.
Ουποτε σφων κορος, οιδα, μελιπνοου ἑσσετ' ερωτος,
Ουδε χρονος τηξει την φλογα της κραδιης.

F. IACOBS.

HORAT.

Digitized by Google

HORAT. CARM. I. IV.

Χειματος αργαλεου κρυος οιχεται, ειαρος φανεντος,
Ὁλκας δ' απ ακτης ἑλκεται κυλινδροις.
Παϋ δε γηθοσυνη λιπεν αυλιον, εσχαραν τ' αροτρευς,
Λειμωσι δ' ουκ ετ' εῤῥιγησε παχνη.
Κοιρανεει Κυθερεια χορους Κυπρις, αθροοις δε Νυμφαι,
Λαμπρας ιουσης ὑψοθι σεληνης,
Και Χαριτες κροτεουσι πεδον ποσιν· αυταρ εν μυχοισιν
Ἡφαιςος Αιτνας εκφλεγει καμινους.
Νυν χλοεροις λιπαραν πυκασωμεθα μυρσινης τ' εθειραν
Η γης βρυουσιν ανθεων αωτοις.
Νυν σκιεροις ῥεξωμεν εν αλσεσι Πανι τῳ Λυκαιῳ,
Ην αμνον αιτῃ, δορκαδ' η θελησῃ.
Μοιρῃν την ολοην τις κεν φυγῃ; ἡ δομοις τυραννων
Επεχρα' ιση και ςεγαις πενητων.
Ἡ δε βροτοις ολιγη βιοτου δοσις· η ταχ' αμφι νυκτος
Βαλει σ' ὁμιχλη, και κλυτοι καμοντες,
Ευρωεις τ' Ἀΐδαο δομος κατω· ευτε τον μετελθῃς,
Ουκ αρχος αρξαις εν χοροις Λυαιου,
Ουθ' ἁπαλον Λυκιδαν βλεψαις ετι, πασι νυν μελημα
Νεοισιν, ειτα παρθενοις ποθεινον.

Λ Ε Ω Π Ω Λ Δ Ω

τῳ δευτερῳ

ΒΩΙΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙ

ενδοξοτατῳ

τῃ εκτῃ ἱϛαμενου μαιμακτηριωνος, ετȣς αψϛά

ϛεφανουμενῳ.

Σ. α. κ. ι.

Λυρας ανακτα δεσποταν
Φοιβον λιγειας, ηΰκομαν τε χορον
Πιεριδων, ἱερας
Λειποντα κρημνωδων σκοπιας ορεων,
Προφρονι γνωμᾳ εμον
Ξυν Χαριτεσσιν ἐς ητορ ἱκανεν
Λισσομαι, μυθον γε μιν
Εκτελειν δοντας μελιγαρυν, ὀν αρ
Δηποτ' εκλαμπρας παρα
Διρκας ῥοαισιν, και πυλαις

Α! κ. κ. ι.

Ἑπτ' ευκλεεννα τα πολει
Καδμω Φυτευθεις, θεσπεσιοις επεσιν
Ἁρμοσ' αοιδος ανηρ,
Μαντις βαθυΦρων' τῳ ποκα, Κασαλιας

Ἁνικα

Ἀνικα κρανας πιων,
Ἀιδεν αελλοποδων κρατος ἱππων,
Εν κλυτα τ' Ουλυμπια
Ἀθλονικας αθανατοισι θετ' εν
Δαιμονων ἑδραις βροτως,
Χρυσαμπυκες, παμφαιδιμα

Ε. α. κ. η.

Στεφανον ειροισαι εθειρα,
Λατοΐδα μαλακαις δενδρεος
Δρεψατε χερσι θαλος.
Τις σε ῥα, φιλον κεαρ, κȣφαν θεος
Εις αμετρητον πελαγοιο θεναρ
Αγαγειν οτρυνε κυμβαν;
Το θανειν ανοιας σαφης μισθος. Το μεν
Δαιδαλω κρεσσον τεκος

Σ. β. κ. ι.

Εν κυμαθ' εὑρεσκεν μορον
Μασσον το πραγος, και πολεων καματων,
Μη τετυχοντι φυας.
Ουπω γ' απαρας' καλον αποσαμεναι,
Κ'αν δε τω καιρω σοφον.
Τον γλυκυς ἁψε χρυσȣ ποθος, Ινδων
Ἐμπορος ναων πλοον
Ἐσχαταν σπευσεν ποθ' ἑδραν, σφαλερα
Γυια πιςευσαις ἁλι'
Δοξας φαεινον τας καλας

A

Digitized by Google

A. β. κ. ι.

Τον φεγγος ανδρ' ἁπαξ τυπεν,
Δεινῳ μαχεσθαι πως δυνατος βελει;
'Αρτεο Μοισα λυρας,
Ουρανων νευσει ϛρεψαμενοιο ακρας
Εικον' εμψυχον Θεου
'Αδυροῳ κελαδοισα μελει κρε-
ουτα, ταν Πισσαν ὁς α-
λεξιποτμαν θερμα ῥεεθρα λιπων,
Αλκιμον, φθινοντος α-
δελφȣ, πατρωιας χθονος

E. β. κ. η.

Παραλαβων σκαπτον, παρ' Ιϛρον
Αϛυ μολεν ἑλικωῤευματι,
Αυϛριακων κορυφαν
Πολιων· ενθ' οἱ ποθεινον ἁλίω
Λαμψ' αμαυραν νυκτα φυγοντι, φαος
Ζακλυτῳ θειας Θερησας
Παιδ', ἁν σεβονται παρεδρον μακαρες
Αφθιτων ψυχαν χοροι,

Σ. γ. κ. ι.

Τοις κεν δομοις εν ολβιοις
Μιχθεισ' ὁμιλει, αξια και μεγαλαν
Μαρπτ' αρεταν γεραπα,
Γαθοισα θυμον. Ηραξαμενον δε καλα,
Και παθεν χρη. 'Αλλα μοι

Σκαπ-

Σκαπτον εχοντα χρυσȣ βασιληα
Μαλθακαις ὑμνων πτυχαις
Μελπεμεν κειται, μεγαλοσθενεων
Λαγεταν, των νυν περ ε-
οντων, αριϛον. Οικοθεν

A. γ. κ. ι.

Και γαρ μοι εξοχωτατων,
Ω᾽ναξ ΛΕΩΠΩΛΔ᾽, εν φρεσιν εντι Τεων,
Παγχοθεν ἀδυτεραν
Πνειοντα οδμαν ανθεμα πλειϛα καλων,
Ἠ πονῳ πραχθεντα Τιν,
Ἠȣ φυᾳ τετυχοντα, αλαθως
Ἁρμενων λαορχαμῳ.
Θαυμα δη μηδεν. θαλεραν γαρ αγων,
Ἱλεαν Μοισαν ἑκαθ᾽,
Ἁβαν, νοῳ ξυν εκφυει,

E. γ. κ. η.

Φιλοπονος ὡσπερ μελισσα,
Παντοδαποισι παγοισ᾽ αγκυλον
Εν καλυκεσσι ποδα
Γλυκυν ες σκοτειν᾽ ενεικεν δωματα
Καρπον, οὑτω και Τυ γε, παντα νεων
Τε, παλαιων τ᾽ εξεταζων
Ἀκαμαντῳ σπȣδᾳ μαθηματα, μελιτος
Πȣλυ φερτιϛον κτεαρ,

Σ.

Σ. δ. κ. ι.

Ανθρωπινων ε᾽λες Φρενων·
Καλλιϛον εργος, σωΦροσυναν· ὁποθεν
Εκπρεπεων αρεταν
Θαλλοντ᾽ αωθ᾽· ἁ μεν Θεον ευ σεβεμεν,
᾽Αϛεοις ορθαν θεμιν,
Νυν τε κελευε ΦιλοΦρον᾽ οπασδεν,
Κοινα σπυδαζειν περι,
Χρηϛα βυλευειν, προμαθεν τε κακα,
Κἀπαμυνεσθαι, νομως
Θηκαι καλως. αϛων απο

Α. δ. κ. ι.

Ουλαν ϛρεΦεσθαι δηριν τε
Παμπαν τ᾽ ακινδυνον παρεχειν βιοτον.
Ταισι Τυ χρησαμενος
Τεχναισι, πολλῳ κεδνοτεραν βασιλει
οις ϛατο ϛαλαν, η αν
Δουρικλονων μυριαι ϛιχες ανδρων,
Χαλκεοις Φρικτ᾽ εντεσιν,
᾽ΑμΦιβαλλωνται θρονον, ευνοϊαν
᾽Αϛεων, αρχαν σθενος
᾽Ερεισμα τ᾽ ασΦαλεϛατον.

Ε. δ. κ. η.

ΣαΦανες εντ᾽ αρ μοι το δειγμα,
Αγεμονος Σεθεν, εις αΦθονω
Αραμενοι κορυΦαν

Ὑπα-

Digitized by Google

Ὑπαταν ολβω παλαις ευκλεες
Οινωτρε, Αρνοι' επι νασσαμενον
Ποταμοι' οχθαισιν αἱμα,
Ἀλα και παπταινοντες ευλιμεναν ταχυ-
ναυαται Λιβερνιοι.

Σ. ε. κ. ι.

Ευτειχεον γαρ εισπλοον
Νασσ' ανοιξας παντοδαπαις λιμενα,
Μητε γενος ποθορων,
Γλωσσαν τε ανδρων, μητε τ' αποινα πορε,
Εμπορας δηξας πονω,
Εν τε βαλες μελεταν Φρεσιν αςοις
Ποικιλων τεχναματων.
Ενθεν εχθιςα τρεπεται βροτεοις,
Πηματ' εμβαλλοισ' απα-
λαμω δομως, αεργια,

Α. ε. κ. ι.

Αφνος τε πλειςον ερχεται
Εγχωριοισιν. Θαλλε δε δαμοσιον,
Θαλλομενω ιδιω.
Τοσσον δε ποιαις κτασω ερον γενεας
Μαχαναις; και ῥα Φιλος
Ως τεκεεσσι πατηρ, πολιαταν
Μεσσος εμμιχθης χοροις,
Κυριω, πληθει τ' ερατεινος' εχε

Κ' ὀμμα Σον σεμναν χαριν,
Και ψυχα ἀδυςαν μελι

Ε. ε. κ. η.

Ανορεαν' πραῢς μεν οργαν,
Νοον φιλοφρων, ευ γε προσαγορος,
Σπλαγχνα τε ματρ' ἰκελος,
Ταλαων' οικτειρεμεν προφρων παθος,
Κ'ἐπαλαλκειν ὑβριν ἑτοιμοτερος,
Ακρατες αιδρις θυμε,
Ευιλατος' πρασσεμεν καλα ενδεεις,
Ορφανων, χηραν θεμεν

Σ. ϛ. κ. ι.

Σπεδαν, Τεον τερπνον' βραδυς
Τιων, αναγκα τιομενος τε πατηρ.
Εςι δε νεικνιας,
Αχνεν παρειαν φοινικοεντι γεγρα-
φως ροδῳ, γηραιος η,
Πασσαμενος νιφαδεσσι καρα,
Ουκ οφειλοντες χαριν;
Τυ βιον γηρα παρεχεις απονον,
Και νεοις Μοισαν διφρον
Χρυσαλατον δειξαις, ανα

Α. ϛ. κ. ι.

Βαντας, φρενων ὁρμας ἑλειν
Καρπως, εοντων τ', εσσομενων τε ὁμως

Ευπρα-

Ευπραγιας προνοων,
Ιυγγα εμβλεὶς Σαν σοφιαν, δυναμιν
Και λογω, σκλαρας δαμω-
σαν κ' ακονας. Κλυον ἀψαμενοιο
Τευ μελιχρυν επεων,
Σων, κακεργῳ μαν δολῳ αντιπαλων
Ες ςασιν πειρωμενοι
Δαϊφρονων Οὐννων αγοι,

Ε. ς. κ. η.

Σοφιᾳ δε βελας κλαπευτες,
Και λογω ἀδυτατω θελγματι,
Στασαν ατυζομενοι.
Πατερ' ὡς δ' υἱοι φιλοςοργον, φιλον
Τ' αμφεπεσιν, τηλοθεν ἱκομενον,
Μεμαωτες πολυ ματαια,
Ουκ αλλως οἱγ' εξοχον βασιληα Σε,
Ταν τρυφαν, σωτηρα τε

Σ. ζ. κ. ι.

Λαω σεβονται, καρδιαν
Δωρον φεροντες. Φεγγε Τεαν δ' αρεταν
Μοινῳ επι ποταμῳ
Φως. Ὁσσον ωρσας κυδαλιμων ανερων
Πληθος, ιφθιμων ὁποτ'
Εν χερι θηκαν αριςεες, αλκαν
Τευτονων σκαπτω; ποσον
Ζαλον εμπρασας, χρυσεῳ κροταφες

 Ανδε-

Digitized by Google

Ανδεθεις κρειων ςεφει,
Θαητος οχλῳ; ταμερον

E. χ. κ. ι.

Δ' αρ αξιαις προσκυνεων,
Χαιτας δικερκος Σαις ὑφιησι λεων,
Ζεκχιαδαν θ' ἱλαροι,
Πολλαις συν ευχαις κωμον αγονθ' ὁμαδοι,
Κηροφιν καυχωμενοι.
Τευ μεδεοντος, ετητυμα φαμι
Μαντις αμυμων, πολυ-
ολβα νοσησοντι Κρονω τ' ετεα.
Τυ σελανας καρψας ὑ-
περοπλον ογκον, ταν χυδραν

E. ζ. κ. η.

Θεομαχαν, κοινῳ τ', αναξιν
Τ' εχθρα μενοινωσαν, ωλεκως,
Εμπεδον ασυχιαν
Αναγεις, πλειςον χεοισαν αφνεῳ
Ολβον αςοισιν χερι. Παντα νεμων
Θεος, ὡς πορσις' αλαλκων
Μοιραν, ευ αρχαν διαιταν δος, δρακευ
Θ' υἱδεων υἱωνεας.

ELEN-

ELENCHVS CARMINVM
ORDINE AVCTORVM ALPHABETICO.

Vop. Hor. Acker.

In reditum veris — — — 96
De Muſae Santenianae praeſtantia — 106

I. Alxinger.

In mortem Stollii — — 93
Initium l. IV. Meſſiados — — 118

B. C. Avenarius.

Fabulae
1. Iupiter et Viator — — 13
2. Gallina et Anaticula — 15
3. Anſer et Lupa — — 71
4. Iupiter et Ovis — 67
5. Linaria — — 74

Aelurias, epos iocoſum — 169

Fr. Gottl. Barth.

Geislero ſuo in patriam reduci — 87
Ad F. G. a Berlepſch — — 101
Ad Doeringium — — 129

Blaxiptolemon (nomen fict.)

Sors Tantali — — 225

C. A. Boettiger.

Ad Comites de Einſiedel et de Langenau 198
Ad Schmalzium recens maritum — 206
Prentzelio, Quaeſtori reip. Budiſſ. — 212

Mich. Denis.

Iuuentus roſa — — — 29
Nox ſerena — — 43
Turtur et Viator — — — 118
Nunc ſcio quid ſit amor — 120
In mortem Io. Ibarrae — — 121
Homo uauis — — — 125
Feriae — — 137
Ad Poetaſtrum — — 138
Votum ad pacem — — 138
Ad Philoſophum Thraſonem — 154
Aeuiternitas libelli — — 165
Ad Ioſ. Spergeſium — — 197
Ad eiusdem tumulum — — 205

Fr. Guil. Doering.

Ad Cupidinem — — 14

In mortem filii vnici — — 52
Ad Conuiuas — — 86

Io. Geo. Eccius.

In Gymnaſii Hennebergici feſto ſeculari ſecundo 213
In Obitum Boehmii — — 245

Eurycles (forte ex Acad. Arc.).

In Choerilum — — 246
Epiphonema — — 257

Farſetti.

Ad Amaryllidem — — 95
Ad Victurium — — — 100
Ad Amorem — — 107
In Aulum, poetam — — 139
De Cloelia canente — — 139
De Ruffo — — 155

Garulli.

Pindi deſiderium — — 140

I. G. Hermann.

Ad Reichardum — — 243

Heuſinger.

In Zoilum — — 156

C. G. Heyne.

Ad Editorem — — VIII
In ſunere Richteriae — — 143
Ad Stanislaum, regem Pol. alieno nomine — 157
Coniuge fato erepta — — 204
Coniuge ad recuperandam Valetudinem ad terras Rhenanas profecta — — 209
Ad Seren. M. Brit. Principes — 217

I. H. Hoeuft.

Ad P. H. Marron — — 10
Neaerae carcere detentae ad matrem epiſtola 44
Iaricus ad Ynclum epiſtola — 76
In mortem Myrti — 104
In imaginem Iani ſecundi — 159
In imaginem Iuliae — — 160
Sponſae ad ſponſam in bello lethaliter vulneratum epiſtola — — 161

A. G. Kaeſtner.

In Obitum Tob. Mayeri — — 51
Epitaphium — — 69
De Aloyſio Gonzaga — 121

Icon

Digitized by Google

ELENCHVS CARMINVM.

Icon — — — 127

Henr. Kett.

Ad Heynium — — 23

F. A. Knittel.

In Pium VI. — — 165

I. G. Lenz.

In homines delicatulos, Gallis *Chapeaux* dictos 74
In Obitum Moſis Mendelidis — 80

P. H. Marron.

Ad Spaldingium — — 9

Ioſ. Alovſ. Martyni-Laguna.

Ad Valgium Berlinatem — — 27
Diis Manibus Iul. Guelf. — — 89

C. I. Michaeler.

Ad Spergeſium — — 131

Morcelli.

De inſtitutione puerili — 218

Quintus Palaeophilus.

Ad Spem — — 256

Pallavicini.

Apollo Vaticanus — — 244

Polydorus Nemaeus.

Caeſar et Pontifex — — 37
Quum rege Boruſſiae e bello redeunte Iris in caelo pulcherrima appareret — 60
Contra Epigramma: *a Sextis perdita Roma fuit* 104
In Papam, ordinem Inquiſitorum aboliturum 156

H. G. Reichard.

Veteres in operibus ingenii inſuperabiles 16
Ad Hermannum — — 229
Ad Titandrum — — 247

F. W. Reiz.

Doctae Ignorantiae commendatio — 109

Laur. Santenius.

Ida — — 58
Vitae ruſticae laudes — 81
Heynius Apollodori bibliothecam edens 117
Ad Manes Valkenaerii — — 124

I. A. L. Seidenſticker.

Wolframio diſceſſuro — — 98

Ioſ.

Digitized by Google

ELENCHVS CARMINVM.

Ioſ. Taruſſius.

Mongolferii machina volans — 30

G. L. Spalding.

Elegia ad Muſam — — 4
Ad affinem patris — — 55
Ad Brand. Gebhardi — — 125

Ioſ. a Sperges.

Puellae certamen pro pudicitia tuenda — 137
Ad Sodales Roboretanos — 195
Ad Virgilium Thereſiae Aug. — 197

M. H. Thieme.

Fridrico Auguſto — — 127

Volſcens, Arcas.

Ad Claudiani de Conſ. Mall. Theod. init. 258

Y. Z.

Cuius generis ſit Papa — — 29

Mea fere ſunt.

Salus Boruſſa redux, regnante Frid. Wilh. 1
Ad Frid. Franciſcum, Acad. Roſtoch. inſtauratorem 24
Ad Poſſium, I. V. D. creatum — 37
Fragm. Carminis in obitum Leopoldi — 38
Carmen ſemiſaeculare, cum praef. ad Georg. III. 61
Ad L. B. de Beulwitz — — 70
Ad cupidam LL. iuuentutem — — 72
In obitum Grabeneri, rectoris Lycei Portenſis 122
Ad Pet. Leopoldum II. Imp. — 147
Soteria pro Heynii coniuge — — 210
Ad F. G. Barthium — 227

CARMINA GRAECA.

Λεωπωλδῳ τῳ δευτερῳ 268
Georgium Sidus — — 261
Epithalamium auct. *F. Iacobs* — 266
Horat. C. I IV. — — 267

Gottingae
Litteris Barmeierianis.

Digitized by Google

Princeton University Library
32101 066877190

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google